10498/A

Ad Alberto Magno viene falsamente attribuito il libro de Secretis Mulierum; ma egli e' d'Enrico di Sassonia suo diſcepolo, e'l coſtui nome si legge in due edizioni riſerite dal Signor Friderico Gotthilſ Freitag (i), cioe' in una D'Auguſta per Antonio Sorg. 1498., e in un altra di Francſort 1615.

(i) Analecta litteraria de libris rarioribus edita a Frider. Gotthilſ. Freitag J. C. Lipſiæ in officina VVeidemaniana 1750. 8. pagg. 1138.

9330

L 6: —

ALBERTI MAGNI
DE SECRETIS MULIERUM LIBELLUS,

Scholiis Auctus, & à mendis repurgatus.

EJUSDEM

DE VIRTUTIBUS HERBARUM, LAPIDUM, & ANIMALIUM *quorundam Libellus.*

Item de MIRABILIBUS MUNDI, ac de quibuſdam effectibus cauſatis à quibuſdam animalibus, &c.

Adjectum eſt ob materiæ ſimilitudinem MICHAELIS SCOTI, *Philoſophi de Secretis Naturæ Opuſculum.*

Cum Indice locupletiſſimo.

AMSTELODAMI

MDCCXL.

303576

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PROŒMIUM.

SCRIBIT Philoſophus philoſophorum princeps: Homo eſt optimum eorum, quæ ſunt in mundo: & mundus ſumitur hic pro omnibus contentis in ſphæra activorum & paſſivorum, ſcilicet pro elementis & elementatis, iſto præſuppoſito probatur propoſitio. Illud eſt optimum cujus generationis cauſæ ſunt nobiliſſimæ: ſed ſic eſt de homine, ergo, &c. Major patet, quia effectus ſortitur nobilitatem ex cauſis. Minor probatur de materia hominis. Unde materia hominis ſecundum medicos ponitur eſſe menſtruum mulieris cum ſpermate viri, quia illa ambo intrant compoſitionem hominis, ſicut lac coagulatur ſub materia caſei. Sed Philoſophi materiales ponunt, quòd menſtruum mulieris ſit materia, & ſemen viri ſit effectus, ita quod ſemen viri ſe habet ad menſtruum mulieris, ſicut artifex ad artificium, ut atteſtatur Averroes 7. metaph. Digreſſionibus de Idæis. Item phyſ. 5. Metaph. cap. 10. dicit, quod ſperma viri ad cauſam effectivam reducitur: & quocunque modo dicatur, ſemper patet quod materia hominis eſt excellentiſſima, & inter omnia ſemina nobiliſſima. Secundo probatur, illud eſt optimum, quod in ſuis partibus aſſimilatur corpori nobiliſſimo, ſed homo eſt hujuſmodi, ergo, &c. Major patet, quia aſſimilatio ſequitur naturam rei. Minor probatur, quia homo aſſimilatur

cœlo, quantum ad duodecim ſigna zodiaci, quorum tria ſunt calida virtualiter, ſcilicet Aries, Gemini, Leo: illis correſpondent tria membra in homine, ſcilicet cor, hepar, & teſticuli. Item tria frigida, ſcilicet Cancer, Taurus & Virgo: & illis correſpondent inteſtina, veſica & diaphragma. Item tria ſunt humida, ſcil. Scorpio, Aquarius & Piſces: quibus correſpondent cerebrum, ſtomachus & pulmo. Item tria ſunt ſicca, ſcilicet Capricornus, Sagittarius & Libra: quibus correſpondent ſplen, fel & renes. Unde dicit 12. Metaphyſ. quod totum cœlum eſt ſicut unum compoſitum contiguum, igitur debemus eſſe inclinati ad notitiam præſentis libri, qui tractat de generatione humana. Cujus cauſſa efficiens dicitur fuiſſe Albert. Mag. deſumptis pleriſque ex Ariſtotele, qui fuit ſufficienter tritus ſive literatus in experimentis, & à mulieribus informatus. Et maximè in libro de animalibus, qui poſtquam totum mundum cum Alexandro circuivit, librum de animalibus compoſuit. Et ſupponitur philoſophiæ naturali, quia eſt unus liber de parvis naturalibus, & non puræ naturalis, ſed partim medicinalis.

PROOEMIUM.

Dilecto ſibi in Chriſto ſocio & amico, N. Clerico de tali loco: veræ ſapientiæ, & augmentum continuum vitæ præſentis.

Iſtius libri ſubjectum eſt ens mobile, contractum ad naturam ſecretorum mulierum, ut ipſis infirmantibus, poſſimus dare remedia; & ipſis confitentibus, ſcire da-

re

re pœnitentias debitas ad delictum. Et dividitur primo in duas partes, ſcilicet proœmialem & executivam. Pars executiva ibi, Sicut ſcribitur, &c. Primo auctor ſalutat perſonam cui ſcribit, dicens. Ego Albertus morans Pariſiis, Dilecto ſibi in Chriſto ſocio & amico. Ibi tangitur cauſa efficiens, movens, & mota. Movens fuit quidam Sacerdos, qui rogavit dominum Albertum, ut ſibi ſcriberet librum de ſecretis mulierum. Et hoc ideo, quia mulieres ſunt tempore menſtrui venenoſæ, ita quod intoxicant animalia per viſum, inficiunt pueros in cunis, maculant ſpeculum bene terſum, & quandoque faciunt coeuntem cum ipſis leproſum fieri, quandoque cancroſum. Et quia malum non evitatur niſi cognitum: ideo neceſſe eſt volentibus abſtinere, cognoſcere immunditiam coitus, & multa alia quæ in hoc libro docentur, & ſic Albertus videns quod juſte peteret, conſenſit ei, & ſic tangitur cauſa efficiens: mota, cum dicitur, ſcribo, &c. Sapientia eſt cognitio Dei & perpetuorum effectuum. Et ideo dicit philoſophus in proœmio Metaphyſico. De Deo propriè non eſt ſcientia. Iſta nihil melius eſt in hac vita, quia mediante iſta ſumus felices, teſte Averroe in prologo quarti Phyſ. Ideo auctor ſcribit augmentum vitæ præſentis, & benè ſcribit ſibi iſta, quia homo mediante ſapientia, redditur laudabilis Deo, & hominibus.

Cum veſtra favorabilis & gratuita me rogavit ſocietas, ut quædam à nobis, quæ apud mulierum naturam & conditionem ſunt occulta & ſecreta, lucidius manifeſtarem, viſa petitione veſtra, nulla pigritia à compilatione brevis & compendioſi tractatuli impetrata materia me retraxit. Sed puſilla & juvenilis mens, quæ ſecundum ejus poſſibilitatem & temporis oportunitatem ad aliena attrahitur, nihilominus veſtro cupiens ſatisfacere appetitui, hanc præſentem epiſtolam, in qua plurima de imperatis invenietis, ſcribo vobis in parte ſtylo

philoſophico, & in parte medicinali, prout materiæ competere videtur. Quam conſcripſi rogans veſtram conſtantiam, ut in opere ac negotio conſtans ac celans ſitis; ne aliquem puerum, tam in ætate quàm in moribus ad præſentiam pervenire permittatis, & ſi feceritis, promitto vobis plura de his & aliis manifeſtare, & cum præſenti opere & arte cauſa medicinali tranſmittere, quæ prolixius dabo, domino concedente.

Hic oſtendit cauſam quæ poſſet ipſum execuſare à labore hujus facti, & patet ſententia ex textu. Nota, quod auctor dicit, quod mens juvenilis & puſilla ipſum retraxit' ubi evitat arrogantiam, quia mens dicitur parva, quæ parvis conditionibus cognitionis eſt imbuta. Unde intellectus propriè non eſt parvus per ſe, nec per accidens, quia intellectus non extenditur extenſione nec minoratione. Nota, quod appetitus eſt duplex, ſcilicet naturalis & intellectualis. Ad propoſitum dicit litera appetui, gloſſ. 1. naturali intellectui. Unde ille ſacerdos appetitu naturali appetivit cognoſcère naturas mulierum. Unde homines natura ſcire deſiderant, 1. metaph. Item appetivit appetitu intellectuali, quia vidit utilitatem cogitationis earum.

Sicut ſcribitur ſecundo de generatione animalium generabilium, generatio ſempiterna eſt circuitus. Cauſam autem ſempiternitatis in generatione animalium oſtendit philoſophus 2. de anima, dicens. Naturaliſſimum operum eſt unumquodque ſibi ſimile generare: quatenus divino eſſe & immortali participent, quod omnia adpetunt ut ipſa permaneant, non idem in numero, ſed idem in ſpecie. Propter quod dicit Commentator. 2. de anima, quod ſollicitudo divina non potuit ipſum hominem facere

per-

permanere idem in numero, miſerta eſt ei in dando virtutem quæ potuit in ſpecie permanere. Et ſubdit. Hoc enim non eſt dubium quin melius eſt habere hanc virtutem, quàm non habere vel non eſſe.

Hæc eſt pars executiva qua auctor proſequitur intentum ſuum, ponendo duas propoſitiones valentes ſibi ad propoſitum. Et dividitur in tot capitula & partes quot patebunt per ordinem. Nota, generatio animalium perfectorum ſempiterna eſt, quia talia ſunt de perfectione univerſalis, 1. Ethicorum. Sed dubium videtur, quia quædam animalia ſunt quandoque penitus corrupta, ſicut quidam vermes, & muſcæ in hyeme. Dicendum eſt quod ſi corrumpantur in una climati, tunc generantur in alio ſecundum Albertum & in commento ſuper primo poſter. Vel dicendum, eſt, quod generatio animalium, quia ſunt de perfectione univerſali, illa eſt ſempiterna, ſed ſtante prima ſolutione dubium eſt, an illa animalia ſint de perfectione univerſali, quia melius eſſet multa animalia non eſſe quam eſſe, ſcilicet ſerpentes, & animalia quæ intoxicant. Dicitur quod bonum eſt ea eſſe, ut abſorbeant immundicias terræ, quia ſi non abſorberent, inficerent aerem, & per conſequens hominem. Unde eam nihil ſuſtentat ſine cauſa rationabili. Ex textu illo patet, quod caſtitas eſt peccatum naturæ, licet hominum ſit via mortis ex præcepto legis, quia per caſtitatem animal non generat ſibi ſimile. Nota, per ſollicitudinem divinam non poteſt intelligi Deus, quia ipſe non curat particularia, ſecundum Aver. 12. Metaph. ergo per ſollicitudinem divinam intelligitur corpus cœleſte, quod de ſui natura appetitu naturali appetit conſervare iſta inferiora, tamen mediante regimine intelligentiarum. Unde Comment. 12. Metaph. Opus naturæ eſt intelligentia, non errantis. Utrum generatio animalium poſſet animalia conſervare in eſſe ſpecifico ſemper? & dicitur, quod non, quia ſi ſic, ergo ſpecies eſſet generabilis, quod eſt falſum: falſitas patet, quia ſpecies eſt per-

petua. Dico, quando generatur individuum hoc vel illud, tunc generatur natura ſpecifica ſub eſſe hoc ſignato, & ſecundum partem, licet non generetur ſecundum totum ambitum. Unde nota, quod natura occultè operatur in univerſalibus, ut dicit Gilbertus Porretanus in ſuis ſex principiis in cap. 1. ſc. cap. de forma. Et quia producere intendit naturam virilem, ſcilicet hominem in communi, vel equum, & tamen producit particularem, ut fortem, quod provenit ex eo, quia invenit materiam quandam, & ſignatam hoc loco determinato, & ideo ſi inveniret totam naturam ſimul, produceret omnem hominem ſimul, ſed quia invenit unum portionem menſtrui hujus vel hujus mulieris, ideo producit hunc vel hunc hominem particularem.

Cauſa autem quare iſta animalia & præcipuè homines, ſecundum eandem naturam & ſecundum materiam, & ſecundum numerum non durant, dicitur ſecundo de generatione & corruptione. Quorum ſubſtantia corporalis non durat, ſed eſt corruptibilis, non poſſet reiterare eadem in numero, ſed ſubſtantia hominis ſecundum principia individui accepta eſt corruptibilis, ideo generatio hominis abjicitur, quare generatio hominum ſempiterna non erit ſecundum numerum, nihilominus tamen generatio hominum eſt perfectiſſima, quod probatur ſic, quia homo eſt nobiliſſima creatura, quod patet ex intentione Phil. in multis locis, & præcipuè in ſecundo de anima, quia quanto plures cooperationes res habet, tanto nobilior eſt. Homo autem per rationem intellectivam ſeparatur à numero viventium, ut patet ibidem. Hoc etiam eſt de intentione omnium philoſophorum, præcipuè Boëtii in ſecundo de conſol. phil.

phil. ubi dicit, quod homines Deo ſunt ſimiles mente. Hoc enim patet in iis, phil. quia motus capit naturam & ſpeciem à termino ad quem, & ideo cum ineſſe naturam humanam in Socrate vel Platone, vel in alio particulari homine exiſtente, ſit motus qui dicitur generatio perfectiſſima, erit ipſa inter omnium animalium generationem. Item generatio eſt motus de non eſſe ad eſſe. Eſſe autem maximè appetitur: & præcipuè ab hominibus, quia hic inter omnes motus excellens eſt in mobilitate. Et intellige de motu variante aliquid ſuper quod movetur, per hæc excluditur primus motus, quid eſt cauſa aliorum.

His probat quod animalia non poſſint permanere eadem in numero, ſed bene eadem in ſpecie, & præcipuè homines. Dubitatur utrum idem individuum corruptum numero poſſit regenerari. Et videtur, quod ſic, quia poſt triginta ſeptem mille annos, conſtellatio cœli erit eadem per totum, ſicut jam ſecundum Platonem, & Aſtronomos. Et ideo tunc nos erimus iidem in numero, & ſedebimus in hac, vel in hac ſchola vel lectorio, ſicut nunc, ſcilicet, in magnò anno. Unde Plato dixit, quod poſt magnum annum debet redire Athenas, & debet ibi legere: ratio eſt, quia tota conſtellatio veniet ita. Ideo redeunte eadem conſtellatione, iidem affectus redibunt. Dictum eſt ſtante ſententia Averr. & Ariſt. 5. Phyſ. & in lib. de generatione: non eſt poſſibile ex quo generationes illius non poſſint eſſe tunc immediate & corruptiones, ideo tempus mediaret. Et ideo unum numero, una mutatione perditur, numero quinto Phyſicorum. Sed ad dubium primum eſt dicendum, quod poſt annum magnum poſſibile eſt redire homines multum ſimiles, ſic quod vix poſſunt cognoſci diſtinctè, cum non ſunt idem in numero. Sed diceres, ſtante eadem cauſa materiæ, effectus idem erit in numero.

Reſpondetur, quod verum eſt ſtante eadem menſura & materia æque diſpoſita, ſed ſic non eſt, quia tempus raptim tranſit, & non revertitur idem numero, ſed bene idem in ſpecie. Et poteſt dici, quod reſolutio hodierna non ſit eadem numero cum reſolutione quæ venit poſt mille vel quadragintos annos, quia motus eſtens ſucceſſivum. Dubitatur ſecundo, utrum unum animal poſſit perpetuari ſemper. Et videtur quod ſic, quia poſſibile eſt invenire aliquod complexionatum, in quo elementa ſunt reducta ad medium ſive proportionem mediam, quia omnis corruptio eſt à contrario, & illa contraria ſunt proportionata in ſummo, ideo non corrumpuntur. Sed quod illud ſit poſſibile, probatur ſic, quia ubi eſt majus æquale ſimpliciter. Dico quod non eſt poſſibile illud dare; quod eſt mixtum, movetur per naturam elementi prædominantis, id eſt, cœli. Sed ad rationem ubi eſt majus æquale & minus, &c. Reſponde, quod verum eſt, prout æquale ſufficit, & prout eſt poſſibile. Unde mixtum æquale in humore ſecundum juſtitiam eſt ponendum, ſed non eſt dare æquale ſecundum quantitatem mobil. quia terra ſemper prædominatur pluribus mixtis. Aliter dictum, ſuppoſito quod tale mixtum ſecundum omnem qualitatem elementorum ſic ponderes, adhuc eſſet corruptibile ab extrinſeco, ſcilicet à virtute cœleſti: quia poſſet mediante aqua infrigidari, & ſic redire ad hoc ſcilicet ab æqualitate humorum, & hoc modo corrumpi. Nota, quod litera dicit, homines ſunt ſimiles Deo mente, illud patet, quia homo per ſcientiam fit divinus: Seneca, vir ſpeculativus eſt Deo ſimilis & amantiſſimus. patet illud 2. Metaph. ubi dicit Ariſtot. in hominibus eſt delectatio pauco tempore, qua intelligentia toto interno perficiunt. Et intelligit per hoc cognitionem Dei, in qua eſt maxima delectatio. Nota, quod omnis delectatio fit per quandam aſſimilitudinem ſive aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, mediante forma exemplari cognoſcentis: ergo quanto plus homo cognoſcit de Deo, tanto plus vel magis aſſimilatur. Litera dicit, inter omnes motus generatio eſt nobilior, ſumendo de eductione

ductione animæ ſive formatione fœtus in utero, quomodo ſit motus, videbitur. Pro quo nota, quod motus eſt duplex, quidam eſt motus qui abjicit aliquid à ſubſtantia ſicut calefactio aquæ abjicit frigiditatem, & movetur de albo in nigredinem. Alius eſt motus qui non abjicit aliquam perfectionem à ſubſtantia motus, ſicut motus cœli, qui non facit aliquid corrumpi à ſubſtantia cæli. Modo generatio eſt motus abjiciens aliquid à ſubſtantia rei, quia menſtruum quod movetur ad formationem hominis, tranſmutatur. Unde Averr. primo Phyſicorum dicit: In generatione hominis pars ſpermatis non ceſſat corrumpi, & pars hominis generatur, donec tota forma compleatur.

DE GENERATIONE EMBRYONIS.

CAP. I.

POſtquam ſermo noſter præmiſſus eſt de his quæ intentionem auditoris ad ſtyli materiam inclinant, opportunum eſt ad materiam operis deſcendere, & primo de embryonis generatione videre. Juxta quod notandum eſt diligenter, & memoriæ commendandum, quod omnis homo qui generatur naturaliter, ex ſemine patris & menſtruo matris generatur, ſecundum intentionem omnium philoſophorum & medicorum. Et dico medicorum, quia Ariſtot. non poſuit ſemen patris in ſubſtantiam fœtus cedere, ſed dicit fœtum tantùm procedere ex menſtruo, & poſtea ponit ipſum vaporabiliter exhalare. Medici autem dicunt totum ſemen, tam ex parte patris (quod ſperma dicitur) quam matris (quod menſtruum dicitur) cedere in ſubſtantiam fœtus.

Cap. primæ partis executivæ, in quo vult aggredi materiam, ſcilicet ad oſtendendam generationem embryonis ſive fœtus. Non eſt controverſia inter Medicos & Philoſophos. Nam philoſophi dicunt, quod ſemen viri conjunctum menſtruo muliebri, habet ſe ad menſtruum muliebris, tanquam artifex ad artificium. Unde ſicut carpentarius ſolum eſt efficiens, & domus effectus, ita quod materiam domus alterat ac diſponit, ſic etiam ſperma viri alterat menſtruum mulieris ad formam hominis. Et hoc ponunt ideo, quia vident quod patre corrupto, fit generatio hominis, & tranſmutatio ſeminis mulieris; ergo eſt ponere efficiens quod patre corrupto, menſtruum mulieris tranſmutetur. Et quia finis & effectus non coincidunt, ideo ſperma viri non intrat materiam. Sed medici dicunt oppoſitum, videlicet quod homo fit ex nobiliſſima materia, ideo ſemen intrare ſub materiam fœtus mulieris, ſuperfluum eſt ſecundæ digeſtionis, ſed ſperma viri eſt melius coctum & digeſtum, ideo oportet ipſum ſubintrare materiam fœtus & ſubſtantiam, quia videtur, quod fœtus aliquando aſſimilatur patri, in genitalibus & in multis aliis hoc non eſſet, niſi intraret ſubſtantiam fœtus. Item medici dicunt, quod in ſemine viri ſit quidam ſpiritus gignens, qui penetrat totam materiam ſeminum conjunctorum, & ille ſpiritus eſt formativus omnium membrorum, tanquam faber ferrum cum malleo diſponit, ſic ille ſpiritus diſponit & mollit omnia membra, & per ipſum ſpiritum ſalvatur principium efficiens. Sed Philoſophi ponunt ſperma viri exhalari vaporaliter, quia matrix eſt membrum valde poroſum, & ſic poſt formationem fœtus, calor ſolis facit ſperma viri exhalare & accedere ex matrice per poros ſumit nutrimentum. Etiam patet, quia eſt pellis, & quælibet pellis eſt poroſa in animali, quia aliter ſudor non poſſet exire ſine pœna, quod eſt falſum: quia in calore pori aperiuntur, & tunc ſudor exit, & tunc etiam exeunt pili per poros. Nota, embryo eſt quædam maſſa carnea, ex iſtis ſeminibus congregata, & iſta maſſa carnea alteratur ad formationem fœtus.

His

His viſis & accepta una parte opinionis Ariſtot. vel medicorum videndum eſt per quem modum, & quomodo illa ſemina recipiuntur in muliere. Unde mulier cum in coitu fuit cum viro, ſimiliter in eodem tempore emittit menſtruum in quo vir ſperma, ita quod iſta duo ſemina in vulva mulieris concurrunt ſimul, & unum alteri incipit commiſceri, & tunc concipit mulier. Concipere autem vocatur, quando iſta duo ſemina in matrice, & in tali loco deputato à natura ad fœtum recipiuntur. Poſtquam verò ilia duo ſemina recepta ſunt, matrix mulieris clauditur tanquam burſa, ex ejus omni parte, ita quod nihil de ſemine recepto poteſt perdere. Et cum matrix ſic undiq; fuerit clauſa, fit detentio menſtruorum in muliere.

Hic auctor exequitur formationem fœtus, & primo facit hoc, ſecundò ponit notabile, ibi: Juxta quod notandum, ſi vir primus emittit ſperma quam mulier menſtruum, tunc non fit conceptio. Item ſi ambo ſimul emittunt, & ſi ſemina non ſint benè conformia, & benè diſpoſita, iterum non fiet conceptio, ut ſi ſemen viri non ſufficienter fuerit calidum. Et ideo raro coeunt, cito generant, quia ſunt calidi valde. Nota, quod vulva dicitur quaſi valua, quia eſt janua ventris, & ejus ultima pars dicitur membrana, quia membrum ani aut eſt finis vulvæ, & ita matrix clauditur ſicut una burſa, ita quod ſecundum Avicennam una acus intrare non poſſet, quia gaudet ex calido recepto nolens perdere. Nota, quod mulier emittit menſtruum & etiam recipit & ſic magis delectatur in coitu ipſo viro. Sed oritur dubium, utrum abſciſſis teſticulis poſſet aliquis generare: & videtur, quod non, quia deficiunt vaſa ſeminalia per quæ vaſa ſemen deferri debet. Ad oppoſitum expertum eſt, quia taurus abſciſſis teſticulis generat. Dico quod imo adhuc generare poſſet, quia

poteſt

poteſt emittere materiam ſpermaticam, licet non æquè benè. Unde ſi ſemen emiſſum ad terram poneretur ad matricem, poſſibile eſſet quod conciperet. Unde ſæpius contingit, quod in balneo ubi vir ſpermatizat muliere præſente, quod ſine coitu ipſa concipit, quia vulva eſt maxime attractiva, & quia ſemen adhuc eſt vigoroſum, & non exhalatum, ideo producere poſſet fœtum, & hoc expertum eſt. Nam ſi ſpermatizaret cattus ſuper ſalviam, & aliquis comederet de ſalvia, tunc ex illo ſpermate generarentur catti in ventre viri, qui catti per vomitum eſſent expellendi.

Juxta quod notandum, quod menſtruum in muliere nihil aliud eſt quam ſuperfluum alimentum, quod in ſubſtantiam rei aliunde non recedit, ſicut eſt in viris ſperma. Et vocatur menſtruum in muliere ideo, quia fluit in quolibet menſe ad minus ſemel, cum mulier tantæ ætatis fuerit, hoc eſt, 12. 13. vel 14. annorum, & ut frequenter accidit, in decimo quarto. Et incipit fluxus menſtruorum eſſe in quolibet menſe, propter naturæ purgationem. Quibuſdam vero accidit iſte fluxus in novilunio, quibuſdam poſtea: ita non omnes mulieres in eodem tempore patiuntur iſtum dolorem, quia in illo fluxu omnes differenter patiuntur, quædam plus, quædam minus, quibuſdam vero tranſit diutius, & hoc ſecundum exigentiam, & complexionem mulierum.

Hic auctor ponit unum notabile, ut patet in textu. Dubitetur, quare fluxus ſpermatis non ſit menſtruoſus, ſicut menſtruum. Reſpondetur, quod ſperma ſive ſemen viri, eſt magis decoctum & ſubtile, ideo natura non libenter rejicit, imò conſervat ad generationem, ſive ad nutritionem

ſi indigeret fœtus. Dubitatur, quare urina & ſtercorizatio & ſudor non ſequatur motum lunæ ſicut menſtruum? Reſpondetur, quod urina & immunditiæ fiunt omni die ex ſuperfluitate cibi ſecundum magnam graſſitudinem & majorem quantitatem, ideo opus eſt, quod quotidie debeant expelli. Nota, juvenes mulieres ſunt multum humidæ, ideo libenter menſtruizant in principio menſis, & ſeniores in fine, quia minus humidæ ſunt. Nota, quod mulieres nigræ minus habent de menſtruo quam mulieres albæ, quia omnes mulieres ſunt phlegmaticæ complexionis, tamen una magis alia. Et quanto magis mulieres utuntur cibariis delicatis & benè piperatis, tanto magis ſubtile emittunt menſtruum. Et oppoſitum eſt de pauperibus mulieribus, groſſis cibariis utentibus. Nota, auctor ponit quod in 12. 13. *vel* 14. *anno mulier incipit menſtruizare. Ratio eſt, quia tunc calor ætatis pueritiæ deficit, gratia cujus non poteſt bene conſumere humidum nutrimentale. Unde verſus. Adde decem ternis, ſic mulierum menſtrua cernis. Ad quinquaginta durat purgatio tanta. Nota, quod mulier mediante menſtruoſitate purgatur, quia humidum ſuperfluum recedit; à quo groſſi humores reſolverentur ſi maneret. Ideo mulier non eſt apta ad diſciplinam propter groſſitiem ſpirituum cerebri, oppilantium & hebetantium. Et nota quod coitus mulieribus pro tanto eſt proficuus, quia ſuperfluum frigidum emittitur, & calorem recipiunt, qui temperat earum frigiditatem, oppoſitum eſt in viris. Unde mulieres multum coeuntes non ſunt brevioris vitæ adeò ſi-*

cut

eut viri, hoc atteſtatur natura paſſeris, qui propter ſæpe coire moritur.

Sed ex his, quæ dicta ſunt, oriuntur plura dubia. Primum eſt, utrum ille fluxus fiat per calorem ſanguineum vel per aliquem alium. Juxta quod notandum, quod in omnibus mulieribus, præterquam in corruptis, color menſtruorum eſt ſanguineus, ut in pluribus. Et dico in corruptis, malis & viſcoſis humoribus. In his enim ſunt ſæpe menſtrua lividi, id eſt, plumbei coloris. Et non loquor de corruptione caſtitatis, quia indifferenter ſive virgines fuerint, ſive corruptæ, ſi tantæ ætatis fuerint, fluxum patiuntur, & ſigna ad hanc partem, ſcilicet quod menſtrua fiunt, ſunt plura, de quibus poſtea dicetur.

Hic auctor movet quatuor quæſtiones ſecundum ordinem, ut patet in textu. Nota, quod fluxus menſtruorum eſt ſanguinei coloris. Cauſa hujus eſt, quia menſtruum eſt ſuperfluum ſecundæ digeſtionis, ſcilicet hepatis, ſed hepar eſt organum rubrum ſumme calidum, & ideo aſſimilatur ſibi id ipſum in colore, & in forma in quantum poteſt. Sed contra videtur quod menſtruum debeat eſſe album, quia eſt ſumme frigidum & frigiditas eſt mater albedinis. Reſpondeo ſecundum Albertum, quantum eſſet de natura menſtrui eſſe album, ſed quia ejus producens eſt rubrum, ſcilicet hepar, ideo ſibi aſſimilatur. Tunc eſt dubium, quare ſperma viri non eſt rubrum, cum tamen ſit calidum & bene digeſtum. Dicitur quod ſperma viri de ſe eſt rubrum, quia eſt ſanguis tertiæ digeſtionis, ſed in teſticulis dealbatur propter frigiditatem teſticulorum, ideo non ſpermatizat: niſi per motum teſticulorum calefiat. Nota, calor rubeus generatur

tur ex eo quia in humido terreſtri humiditus per aduſtionem humidi conſumitur, ut patet in latere rubeo. Nam later ante combuſtionem non eſt rubeus, ſed efficitur rubeus per conſumptionem humidi à calido, ita quod terreſtre ſiccum prædominatur. Sic eſt de menſtruo mulieris, eo quod in hepate humidum calore hepatis non conſumitur in ſicco terreſtri, ideo quodammodo fit rubeum. Sed in mulieribus valde groſſis & terreſtribus, tantum eſt de humido inconſumpto, & de terreſtri, quod earum menſtruum eſt lividum, id eſt, nigrum. Terra enim nigra eſt, & quia earum menſtruum eſt ſumme terreſtre, ideo ſequitur colorem terræ. Quia color eſt qualitas ſecunda, derelicta à primis qualitatibus. Exemplum, ſicut videmus quando calidum agit in humidum, & non conſumit ſufficienter humidum, relinquitur color viridis ſicut in pyris & in pomis. Et ſi frigidum prædominatur, color eſt albus, ſed ſi calidum prædominatur, relinquitur color niger, ut patet in pipere, & ſic de aliis ſimilibus.

Secundum dubium poteſt eſſe, utrum menſtruum fluat per annum, & hoc more ſeceſſus: aut per vulvam, modo ejectionis urinæ. Ad hoc breviter eſt dicendum, quod per vulvam fluit in ſpecie crudi ſanguinis & tenuis.

Hic auctor ponit ſecundum dubium, ut patet in textu. Et reſpondetur ad dubium, mulieribus multum corruptis, quarum anus & vulva ſunt unum foramen, tamen menſtrua fluunt per anum, ſed ſtante ſanitate & bona digeſtione, tunc non fluunt per anum, ſed per vulvam.

Tertio dubitatur, quare in mulieribus fluunt menſtrua, quæ ſunt ſuperflua alimenti, & non in

viris

viris ſperma, quod etiam eſt ſuperfluum alimenti. Ad hoc dubium dicendum eſt, quod mulier eſt frigida, & humida à natura: vir autem eſt calidus & ſiccus: modo de natura humidi eſt fluere 4. metaph. & maximè humidum, quod eſt in mulieribus, eſt aqueum. Sed in viris humidum eſt aëreum, & ideo cum calor ſemper agat in humidum, & calor eſt naturalis. Sed tamen natura nihil facit fruſtra, ut dicitur primo de cœlo & mundo: & quia calor in mulieribus ſemper eſt debilis, reſpectu illius qui eſt in viris, & cum totum alimentum in mulieribus non poteſt convenire in carnem, ideo natura facit quod melius eſt, providet naturæ de neceſſariis, & reliquum dimittit in locum quendam, in quo ſervantur in muliere menſtrua. De illo quidem in tantum dictum eſt, quia majoris inquiſitionis eſt, quam præſens expoſcit negotium.

Hic movet tertium dubium, & per ſe ſolvit, ut patet in litera. Nota, quod frigidiſſimus virorum eſt calidior calidiſſima mulierum, ſtante eadem regione, digeſtione, & cibali nutritione, & ſic de aliis. Hoc dico notanter, quia mulier in Æthiopia vivens delicate, eſſet calidior pauperculo viro in occidente, ſemper utente cibariis frigidiſſimis. Sed contra videtur, quod mulier calidior ſit viro, quia calor fundatur in ſanguine, ſed in muliere plus eſt de ſanguine, quam in viro, alias ſanguis non flueret quotidie & continuè in muliere, ſed ſic non eſt in viro, ergo, &c. Reſpondetur, quod ubi plus eſt de ſanguine bene digeſto & decocto, ibi eſt & major calor, ſed ſic non eſt in mulieribus, ergo, &c. Nota, litera dicit, quod natura regitus ab intelligentia non errante, exte, ex-

pellis

pellit humidum groſſum mulieris mediante fluxu. Et videmus experimentum, quando fuerit in corpore animali aliquis humor groſſus, nocivus corpori, illum natura vertit in partes officiales corporis, faciendo ſcabioſos pedes & manus, ne illud humidum edat membra principalia, ſcilicet, cor, hepar & alia.

Quarto dubitaret aliquis, unde veniret menſtruum in muliere, quando eſt in coitu cum viro, quia dictum eſt ſupra, quando mulier concipit, retenta eſſe menſtrua: ergo ſi retenta fuerint, mirum eſt unde tunc fluunt in coitu. Ad hoc dicendum eſt, quod quando mulier concipit, retenta ſunt menſtrua propter hanc cauſam finalem, ut de menſtruo retento. fœtus in utero mulieris exiſtens, poſſit nutriri. Quando autem mulier eſt in coitu cum viro, tunc propter magnam delectationem, quam habet, quia per virgam virilem exiſtentem in vulva, nervi & venæ exiſtentes in vulva, confricantur & moventur: & ſic vulva dilatando emittit, & hoc eſt naturale reſpectu coitus, quia ille coitus eſt naturalis. Et tamen quaſi violentus reſpectu fluxus naturalis menſtruorum. Item omni die de nutrimento ſumpto fit materia, quæ apta nata eſt ad expellendum in coitu. Et illo ſolvitur dubitatio, quare mulieres imprægnatæ maxime appetunt coitum: quia appetiens coitus eſt propter abundantiam materiæ ſuperfluæ ab alimento. Et ideo cum menſtrua ſunt retenta, & omni die aliquid aliud generatur, mulier maximè appetit coitum, quia ex ejus materiæ abundantia vulva mulieris caleſcit, & ſic coitum appetit.

Hic

Hic movet quartum dubium, & ſic ſolvitur per ſe, ſed dubium eſt circa dicta, & circa dicenda, à quibus membris in viris ſperma abſcindatur, & ſimiliter menſtruum in mulieribus, ſumendo menſtruum pro ſemine quod emittitur in coitu. Et videtur, quod ab omnibus membris, quia fœtus aſſimilatur parentibus in omnibus membris. Sed contra, ſi ſic, ſequeretur quod imperfectus in membris generaret in membris imperfectum, quod eſt falſum. Falſitas patet per experientiam, ſi pater eſſet cæcus, claudus, vel mutilatus in digito, non ſemper generaret ſimile ſibi. Conſequentia patet de ſe. Dicendum quod in coitu illa ſemina diſcinduntur à quatuor membris principalibus, ſcilicet à cerebro, corde, hepate & matrice in mulieribus, & à teſticulis in viris, & ex conſequenti ex aliis membris, ſed non ab aliis partibus corporis principaliter, & per hoc ad inſtantiam dicitur, quod fœtus aſſimilatur parentibus. Dico quod ſufficit principalibus, prout iſta influunt aliis membris, & maxime à cerebro diſcinduntur & diſtinguuntur. Unde videmus multum coeuntes caput dolere, & maxime exſiccari in membris & maxime debilitari in viſu.

CAP. II.

De fœtus formatione.

Viſis iſtis, ad formationem fœtus in matrice eſt redeundum. Prima materia recepta in matrice habet naturam lactis ſex primis diebus. Ad hunc colorem lactis operatur calor natu-

naturalis in ſpermate viri emiſſus & calor matricis, ita quod iſta materia dealbatur ſicut lac. Deinde illa materia tranſmutatur ad naturam ſeu colorem ſanguinis ſpiſſi, & aliqualiter benè cocti, & hoc per novem dies, poſtea tunc ab iſto tempore fit conſolidatio in membris fœtus, in duodecim diebus.

Illud eſt capitulum ſecundum partis executivæ, in quo revertitur ad formationem fœtus. Oritur dubium, utrum calor ſpermatis ſit ignis elementalis, vel ſit calor cœleſtis ſimiliter de calore matricis, &c. Hic ſunt diverſæ opiniones, ſed cum Ariſtotele 2. de animalibus dicendum, quod iſte calor ſit animalis, ſive cœleſtis. Ratio eſt, quia caler elementalis eſt deſtructivus, ſed calor cœleſtis eſt ſalvativus animalium ſecundum Averr. 12. Metaphyſ. 12. commento. Sed tamen dicendum, quod iſte calor ſit partim igneus, & partim animalis ſive cœleſtis. Unde calor igneus convertitur ſimpliciter in ſe, ſicut in contrarium. Sed calor animalis ſive cœleſtis eſt permixtus cum humiditate & temperatus, & ille conſervat mixtum. Unde quodlibet animatum vivum vivit in calido radicali & humido temperato. Dubium eſt, quæ membra primo formantur & generantur in fœtu. Hic dicunt quidam quod hepar, quia in hepate fit nutritio prima, & vegetatio ſpirituum, & quod ab hepate diſcinditur prius ſemen quàm in adene, ideo videtur hepar primo generari. Simul cum Ariſtot. dicamus, quod primo cor generatur, quia eſt primum vivens & ultimum moriens.

riens, *poſtea hepar*, *poſtea cerebrum*, *poſtea teſticuli*, *ſic de aliis. Sed quando dicitur*, *quod in hepate ſit prima nutritio*, *dicitur quod eſt verum ex conſequente*, *ſed in corde habet fieri*, *&c.*

Juxta quod notandum, quod ſecundum Phil. unum quodque univerſum conſurgit ex quatuor elementis, ideo quia in tali materia terrea, quæ cedit in ſubſtantiam oſſium: ſimiliter aquea cedit in ſuum ſimile, & ſic de aliis. Poſtea vero ſolet facies formari à natura, & diſpoſito corporis ſecundum trinam dimenſionem, ſcilicet longum, latum & profundum, & hoc fit per 18. dies. Ab iſto verò tempore incipit natura fœtus confortari uſque ad egreſſum. Nota, quod fœtus mulieris conficitur in 14. diebus. Et illud quod per ſermonem longum dictum eſt, ſolet dici per quatuor verſus:

Conceptum ſemen, ſex primis crude diebus,
Et quaſi lac, reliquiſque novem fit ſanguis, ab inde
Conſolidat duodena dies, bis nona deinceps
Effigiat, reliquum tempus producit ad ortum.

Hic auctor ponit unum notabile, *ut patet in textu. Nota*, *litera dicit*, *quod quodlibet viventium eſt ex quatuor elementis. Hoc probatur*, *quia ex quibus aliquis nutritur*, *ex illis eſt conſtitutus*, 1. *de Anima*, *ſed ex iiſdem nutrimur & ſumus*, *ergo*, *&c. Minor patet*, *quia nutritio fit per calidum & humidum*, *ſiccum & frigidum*, *principaliter per calidum & hu-*

humidum. Sed contra, quædam animalia vivunt ex puris elementis, igitur ſolum vinum elementum eſt in ipſis. Antecedens patet per hunc verſum.

Quatuor ex puris vitam ducunt elementis.

Dicendum, quod ſimpliciter eſt impoſſibile ſecundum Ariſtotelem. Unde halec eſt mixtum ex quatuor elementis, & nutritur ex aqua mixta, mediante calore ſolis. Unde halec in aqua pura vivere non poteſt, quia illa non eſt nutrimentalis. Et ideo videmus piſces panem comedere in aqua. Item in quolibet mixto vivente requiritur terra, quæ facit mixtum conſtare & durum eſſe, alias cito diſſolveretur. Item requiritur ignis, ut calorem habeat in quo vita ſalvatur. Etiam requiritur humidum, in quo agat calidum. Et requiritur humidum aeris, quia ſpiritus generatur ex ſanguine aereo. Item oſſa ſunt ex menſtruo, quantum ad groſſiores partes menſtrui, quia oſſa materiam hominis in eſſe conſervant. Si enim non eſſent oſſa, homo cito diſſolveretur. Poſtea de parte menſtrui magis activa generatur cerebrum & medulla. De partibus magis aereis generatur ſpiritus, & de partibus magis igneis hepar, ita quod quælibet membra in homine ſunt in ſua ſtructione ex adjunctione alicujus elementi. Nota fœtus ſic formatur, quod quantitas materiæ præexiſtentis condenſatur, vel rareſcit ad quantitatem ſive extenſionem debitæ formæ, in longum, latum & profundum. Et quando res generabilis major erit in quantitate corrumpenda,

tunc

tunc fit rarefactio materiæ. Quando verò erit minor, tunc fit condenſatio. Sic eſt quando ex ſemine mulieris fit homo, quia tunc ſi materia ſeminis eſt major recipiente formam hominis, tunc primo calor naturalis & virtus formativa materiam condenſat, & facit indureſcere, donec apta ſit formæ, & tunc homine generato, materiam augmentat interim cum elementis, uſque ad quantitatem competentem ſibi. Et omnes illæ diverſificationes quæ præcedunt animam in inſtanti generatam, debent eſſe indeterminatæ ante illud inſtans: quamvis omnes ſint determinatæ non per formam corrumpendam, ſed per formam menſtrui, tamen adhuc expectant aliam terminationem à forma generanda. Secundum hoc gloſſatur litera, quæ dicit, Poſtea verò ſolet facies formari ſecundum trinam dimenſionem, ſcilicet determinabile.

Sunt autem quidam, qui penes quodlibet tempus ſignatum, ponunt regnare aliquem planetarum. Et quia ſcire hoc multum confert ad ea quæ hic ſcribuntur, ideo ne ignorantiæ meæ illud neglectum adſcribatur, ex his aliqua declarabo. Notandum primò, ut dicit Avicenna, accidentia ſunt in triplici genere: quædam enim materiam conſequuntur in compoſito, & ei attribuuntur: quædam formæ: quædam compoſitum ex materia & forma conſequuntur. Et cum hoc ſit naturale compoſitum ex materia & forma, tripliciter denominabuntur accidentia in ipſo. Ex parte autem animæ ſunt quædam acciden-

dentia, virtus eundi & movendi, & quia ſecundum intentionem quorundam, qui digne locuti ſunt de natura, omnes virtutes, quas anima in corpore complectitur, illas contrahit à ſuperis & corporibus cœleſtibus.

Hic auctor incipit determinare de ſucceſſiva fœtus formatione, ſecundum influentiam planetarum. Et primo promittit quædam, ſecundo exequitur intentum ſuum ibi: Ab ultimo enim. Nota, illa concluſio formatur ex litera. Fœtus formatur ſucceſſive per planetas. Idem probatur ſic extra literam. Penes illud formatur fœtus, quod diverſimode influit fœtui eſſe & vivere, ſed planetæ ſunt hujuſmodi, ergo, &c. Minor patet, quia huic influit vivere longo tempore, huic parvo tempore, ut patet per Ptolomæum in Centiloquio ſuo, & per ejus Commentatorem Haly.

Nota, tunc planeta dicitur regnare, quando eſt in majore vigore, ſcilicet quando eſt in domo ſua, hoc eſt, in ſigno ſibi conformi, & quæ ſunt domus planetarum, infra patebit. Nota, anima movet corpus, per hunc modum anima primo movetur ab alio, ſcilicet appetibile, & ſic mota movet ſpiritus, quibus motis, ipſi movent muſculos, qui moti movent membra. Et ſic patet quod appetibile eſt principale movens. Sed dubium eſt, utrum aliquod accidens poſſet eſſe principium alicujus ſubſtantiæ principale? Reſpondet Galderus Burbalii ſuper quarto Sententiarum, quod ſic, probamus ſic, quia illud eſt agens, quod corrumpit unum, & generat

aliud. Talis autem eſt humoris indiſpoſitio, ſive diſproportio elementorum, quæ corrumpit formam hominis, & generatur forma cadaveris, quod eſt ſubſtantia, igitur, &c. Reſpondetur, quod humor notificans eſt quædam ſubſtantia. Non enim ſumitur humor pro accidente, ſed capitur pro materia humida peccante: ita quod accidens non corrumpit hominem, niſi virtute ſui ſubjecti. Sed quando dicitur, Subſtantiæ nihil eſt contrarium, dicitur quod verum eſt, de contrarietate perfecta, tamen bene contrarietate diminuta: quæ ſufficit ad corruptionem unius, & ad alterius generationem.

Ab ultimo enim orbe, qui motu diurno omnes ſphæras inferiores recipit, influuntur materiæ principaliter & radicaliter virtutes eſſendi & movendi ab orbe ſtellarum fixarum, fœtus recipit virtutem, quæ diſtinguitur in ſe ſecundum diverſas figuras & accidentia. Et illud convenit ei, in quantum eſt forma; ſed etiam contrahit aliam virtutem ab hoc orbe quæ dat eſſe, & ſecundum diverſas naturas hujus orbis, poſt ſphæram ſtellatam ponitur ſphæra Saturni ſecundum Aſtronomos, & ab illa influuntur animæ virtutes diſcernendi & ratiocinandi. Et poſtea ſphæra Jovis & ab illa influitur animæ magnanimitas, & plures animæ paſſiones. Et à ſphæra Martis influitur animæ animoſitas & virtus iraſcibilis, & alia deſideria animæ. Et à Sole influitur virtus ſciendi & memorandi: à Venere motus concupiſcentiæ & deſiderii: à Mercurio virtus gau-

gaudendi & delectandi : à Luna quæ eſt radix omnium virtutum naturalium, virtus vegetandi : quamvis hæc & plura alia, ab anima procedunt, & cum iſta ſequuntur ex diverſis partibus corporum cœleſtium, tamen hæc omnia animæ attribuuntur, & non ſolum animæ, ſed toti compoſito, quod ſimplex non poteſt ſuſtentare accidens.

Hic oſtendit quomodo animæ influuntur diverſa accidentia à corporibus ſupercœleſtibus. Nota, ab ultimo orbe, anima capit eſſe in omnibus, quantum eſt ex parte ſui, ſed ſphæra cœli ſtellati dat eſſe diſtinctum animæ ab aliis entibus, quæ propter multitudinem ſtellarum influit diſtinctum eſſe, & diſtinctionem. Unde ſecundum hoc quod ſtella ſpecialis reſpicit unam animam plus quam aliam, ideo diſtinctum eſſe influit cuilibet animæ humanæ, cui correſpondet diſtincta ſtella.

Nota, Saturnus eſt prima ſtella erratica, & gratia ſuæ influentiæ dat animæ virtutem diſcernendi & ratiocinandi. Et dicitur Saturnus quaſi ſatur in arvis, per contrarium. Unde cum ſit frigidiſſimus & ſiccus, influit cariſtiam ipſo regnante. Sed Jupiter influit magnanimitatem. Unde Jupiter fuit quidam vir, qui expulit patrem ſuum à regno ſuo. Et dicitur quaſi juvans patrem, per contrarium. Et illud attributum eſt uni planetæ, qui magnanimus eſt per influentiam, ita quod puer natus eo regnante ſit magnanimus. Et in Venere naſcuntur luxurioſi. Sed Mars eſt maligniſſimus planetarum, &

dat virtutem iraſcibilem. Sol eſt optimus planetarum, influens ſcientiam & memoriam. Unde ſub Sole nati, ſunt felices & amabiles. Sed Mercurius dicitur quaſi mercatorum kyrios, id eſt, dominus: ſicut enim mercator dicitur eſſe gaudioſus & affabilis: ſic & ille planeta eſt benevolus, gaudium & delectationem infundens. Sed Luna influit virtutem vegetandi & nutriendi, quia eſt infimus planetarum, ideo immediatius agit.

Item litera dicit, accidens in ſimplici eſſentia non ſuſtentatur, cauſa eſt, quia accidens egreditur de natura ſubjecti, non ſolum magnitudinem ſubjecti, ſive cauſæ materialis, ſed etiam magnitudinem cauſæ efficientis. Ideo compoſitum ſecundum unam partem eſt cauſa materialis, & ſecundum aliam partem eſt cauſa effectiva, & quia in ſimplici non eſt exponere, ideo ſimplex non eſt ſubjectum accidentium, & maxime accidentium realium, quamvis tamen eſſentia ſimplex poſſet eſſe ſubjectum ſuorum modorum eſſendi, ſicut materia prima eſt ſubjectum ſua potentia, qua eſt ſuus modus eſſendi proprius & formalis. Ex quo patet, quod accidentia potentia non ſunt accidentia ſolius animæ, ſed ſunt accidentia totius compoſiti. Sed dicuntur animæ ſic, quia inſunt corpori per animam principaliter.

Nunc vero ex parte corporis conſimiliter eſt notandum, in primo de creatione vel formatione corporis, quod ex embryone creatur & formatur per effectus & operationes ſtellarum,

rum, quæ planetæ dicuntur. Primo enim materia embryonis vel hominis generandi, compreſſa & coagulata per frigiditatem & ſiccitatem Saturni diſponitur, huic materiæ à Saturno virtus influitur vegetativa, & motus naturalis adſcribitur, & tunc patebit in tali materia operatio aliqualiter debita: Et ideo Medici dicunt, quod poſt lapſum ſpermatis in matrice primi menſis in generatione, & in temporis ſucceſſione ſecundum exigentiam naturæ ſeminis, Saturno adſcribitur, quia ſua frigiditate & ſiccitate ſemen conſtringit & conſolidat.

Poſtquam auctor poſuit accidentia propriæ animæ, mediantibus corporibus cæleſtibus, conſequenter exequitur de accidentibus corporis. Nota, frigidi eſt ſtringere & condenſare, ut patet in experimento. Ut ſi accipitur olla plena aquæ, & ponatur ad locum frigidum, aqua minoratur, ſi quod comprimitur. Sed calidi eſt extendere, ut calor ferri facit ferrum extendere. Item calor in aqua bulliente ipſam extendit & rareſacit in dimenſionibus, ſed quia Saturnus eſt frigidus & ſiccus, ideo aſſimilatur terræ, ideo materiam condenſat, & comprimit. Verſus:

Et frigidus ſumme Saturnus ſiccus & aſper.

Nota dubium, utrum aliquis planetarum poſſit influere frigiditatem? & videtur quod non, quia 2. de cœlo dicitur, Stella influit motum & lumen, ſed tam motus quam lumen calefaciunt, ergo, &c. Reſpondeo quod omnis planeta influit calorem, ſed unus plus, alter minus. Unde Saturnus & Luna minime

influunt calorem, reſpectu aliorum planetarum.

Sed ex iſto ſtatim oritur dubitatio, quia alicui poteſt eſſe dubium, utrum Saturnus regnet, in cujuſlibet embryonis conceptione? Et ſi non, tunc mirabile eſt, quod dictum eſt.

Hic movet dubium, & eſt illud, ſi dictum eſſet verum, ſequeretur quod Saturnus ſemper regnaret, & hoc eſſet mirabile. Conſequentia non probatur in litera, ſed de ſe patet, quia omni die fiunt conceptiones puerorum.

Circa quod notandum eſt, quod materia prima ſubjecta eſt corporibus ſupercœleſtibus & eorum motibus. Et hoc eſt, quod dicit Phil. 1. meteor. quod omnia inferiora cauſata ſunt à ſuperioribus, & ab ipſorum motibus gubernantur. Et ideo neceſſe eſt quod iſta inferiora particulariter & univerſaliter reſpiciantur à ſuperioribus intelligendo de virilitate corporis totius ſupercœleſtis: univerſaliter enim iſta inferiora reſpiciuntur à ſuperioribus, quia nihil fit de materia elementali: niſi ex virtute corporum ſuperiorum: ideo dicit Commentator 2. Met. quod natura non agit niſi gubernetur à corporibus ſupercœleſtibus, hoc eſt, ab intelligentiis. Particulariter enim aliquid fit in iſtis inferioribus à cauſatione ſuperiorum, quia una pars cœli, apta nata eſt introducere talem formam determinatam & ſpecialem, alia verò aliam formam, & illud totum videtur eſſe de intentione Commentatoris in primo de generatione & corrupt. ubi vult quod generatio elementorum & partium ipſarum

rum ad invicem ordinantur & conſervantur per motus corporum ſupercœleſtium, & per motus elementorum qui concurrunt generaliter ad generationem mixtorum. Addit autem Commentator quod individua animantium & planetarum ſunt determinatarum cauſarum, & ſunt determinata ad eſſe. Et ita tam eſſe univerſaliter quam particulariter inferiora à ſuperioribus reſpiciuntur.

Hic auctor ſolvit quæſtionem motam & primo ponit ſolutionem quandam: ſecundo applicat eam ad propoſitum, ibi. Et ideo cum natura, &c. Nota, materia cœleſtis reſpicit determinate elementum, quia in una parte generat ignem, & in alia corrumpit aquam ſicut videmus, quia ſigna hyemalia faciunt generare aquam plus in ſeptentrione, ſed ſigna æſtivalia plus faciunt generare aërem vel ignem in æſtate. Nota, litera dicit corpora ſimilium partium, unde illæ partes dicuntur ſimiles, quarum quælibet ſuſcipit prædicationem totius, hoc intelligendo de partibus quantitatis: ſicut quælibet pars ignis, & etiam ignis habet partes diverſarum rationum, ſicut materia ignis & forma. Modo generatio partium ſimilium corporum, quod ſunt in elementatis & elementis reguntur, & determinata ſunt per motum corporum cœleſtium. Idem eſt dicendum de planetîs & individuis animantium. Et ideo contingit quod in una parte terræ homines moriuntur, & ſi eſſent in alia, ibi poſſent revivere vitam eorum. Quia ſi aliquod mixtum fuerit nimis

calidum in regione nimis calida, illud debet poni ad regionem frigidam ut ejus calor attemperetur, & tunc illud ſanitati reſtituatur.

Et ideo cum materia primo ſit ſubjecta corporibus ſuper cœleſtibus, neceſſe eſt, quod capiat formam alicujus ſpeciei determinatam ab aliqua parte ſpeciali cœli, ita ut non poſſit eam recipere à corpore cœleſti communi, eo quod tale corpus reſpicit iſtam materiam vel iſtam formam indifferenter: nam qua ratione daret illam formam, eadem daret & alias, quia omnes formæ, quæ ſunt in potentia in materia prima, & in primo motore, ſunt in actu, ut dicit Commentator 12. Metaph. ergo cum materia ſufficienter diſpoſita eſt, neceſſe eſt eſſe aliquam determinatam partem in primo motore, primo ſpecialiter reſpicientem materiam ad hujus determinatæ ſuſceptionem, & ideo non ſufficit agens particulare phyſicum ſtante communi influentia, & communi actione corporum cœleſtium. Et illud patet ex eo, quia poſtquam ſemen eſt deciſum, gerit in ſe vim illius, à quo eſt deciſum. Et illa virtus non gubernatur à corporibus ſupercœleſtibus uniformiter, ita quod non magis gubernatur ab una parte cœli quam ab alia, imo hoc modo deſtitueretur in ſua propria actione, & per conſequens à fine. Et illud eſt de intentione Ariſtot. ſecundo de generatione & corruptione, ubi dicit, quod adveniente Sole redibunt animalia, & recedente Sole animalia peribunt.

Illud

Illud autem apparet ex intentione Commentatoris ſecundo Metaph. ubi vult quod materia prima primò non recipit omnem formam indifferenter, ſed primo formas elementales, & mediantibus iſtis omnes formas mixtorum. Ille autem ordo formarum non poteſt eſſe niſi ab aliquo ſpecialiter materiam gubernantium, ad receptionem formarum.

Hic auctor applicat ad propoſitum iſtam ſolutionem & primo in generali, ſecundo in ſpeciali, ibi: Et per hunc modum. Nota, motor primus eſt duplex. Quidam eſt motor primus, ut ipſe Deus glorioſus, & præter illum motorem eſt ponere alium motorem primo conjunctum. Unde Philoſophi ponunt octo ſphæras, & novem motores, ideo quia quælibet ſphæra habet ſuum proprium motorem. Et præter illos motores eſt dare unum motorem ſimpliciter immobilem, qui non movetur immediate, ſed mediantibus aliis motoribus conjunctis. Modo litera auctoris ſic intelligitur, Omnes formæ in materia compoſita ſunt de primo motore ſemper ſimpliciter, & in actu. Unde Licomen ſuper primo Poſteriorum dicit, quod effectus primo habet eſſe in ſuis cauſis maxime effectivis, ſed in ſe habet eſſe virtualiter. Nota, particulariter agens ſub influentia communi poteſt educere formam determinatam, quia omnis cauſa prima determinata reſpiciens aliquam formam, plus influit quam pater vel mater. Et ideo agens particulare non producit ſine

determinato agente. Ita litera dicit, ſemen deciſum habet vim illius à quo eſt deciſum. Ex quo dubitaret aliquis, utrùm ſemen deciſum eſſet animatum? & videtur quod ſic, quia ſemen in quantum eſt in patre, tunc eſt vivum, vitam patris habens, & ſi habet eandem naturam in matrice, ibi erit vivum. Hic reſpondeo, quod ſemen fuſum in matrice non eſt vivum formaliter, quia nec eſt planta, nec animal, ſed eſt vivum naturaliter, quia mediante ſpiritu ſibi interveniente operatur vitam. Sed diceres, cum ſit inanimatum, quomodo producit animam? Dicendum quod mediante matrice, quæ eſt animata, & mediantibus virtutibus propriis animæ, penes ſtellas & planetas ſpiritualiter repræſentantes ſpiritualem influentiam, diverſificantur imagines hominum ſecundum Albertum, & ideo quandoque contingit, quod homo cum capite unius porci generatur, quia aliqua ſtella tunc dominatur, quæ influit talem diſpoſitionem, & ſic eſt expertum quod in lapide aliquo eſt facta imago ſcorpionis vel ſerpentis, quia aliqua ſtella vel conſtellatio reſpexit ipſum, & ſibi impreſſit illam figuram, & ex hoc contingit quod imagines aliquorum ſignorum ſculptæ in lapidibus habent curare quaſdam infirmitates, ſicut recitat Haly, in centiloquio Ptolomæi, & vidit quod imago ſcorpionis ſculpta curavit læſionem factam in ſatellico à ſcorpione animali, & ſic videmus quod quandoque aliqua corpora mortua ſepulta, ſcilicet homines centum annis

vel amplius jacent ſine incineratione, & hoc fit per naturam ſtellarum reſpicientium illud cadaver, quod conſervatur ſine incineratione & combuſtione: præterea ex hoc patet quod quandoque optimi amici fiunt inimici una cauſa agente particulari, & hoc accidit per influentiam planetarum repugnantium, quibus ipſi ſunt ſubjecti.

Et per hunc modum manifeſtatur, eſſe de Saturno propoſitum, ſcilicet quod habet diſponere materiam & introducere talem formam: ſed quod Saturnus ſic ſemper dicitur regnare in embryonis conceptione, ſic intelligitur, quod ſuum, regnare in hoc loco non ſumitur pro alio quam influere talem diſpoſitionem quæ ab alia parte cœli non eſt nata influi. Et ideo ſi in tali hora noctis vel diei non dicatur regnare Saturnus, hoc ex eo quod ceſſat virtus ſua, ſed aliquis alius planetarum vel ſtella apta nata eſt influere talem diſpoſitionem in materia, quam Saturnus influere non potuit, quia *actus activorum ſunt in patiente bene prædiſpoſito.* Et ſi aliquis quæreret, cur ita ſit quod omnia tali curſu currant. Reſpondeo quod ſic ſunt ordinata apud Deum, qui primo originaliter omnia diſponit ſecundum ordinationem ſublimem, & cuilibet virtutem propriam ſecundum exigentiam ſuæ naturæ miniſtrat.

Hic applicat ſolutionem ad propoſitum ſuum in ſpeciali. Nota, per textum ſolvitur dubitatio directe in forma, quando arguebatur, Si pri-

mus menſis attribueretur Saturno, ita ille regnaret in principio conceptionis, tunc ſemper regnaret Saturnus. Dico Saturnum regnare: intelligo dupliciter, uno influentia generali, alio modo influentia ſpeciali. Modo dicit quod Saturnus regnat omni die influentia generali; ſed regimen ſpeciale Saturni eſt, quando fuerit in domo ſua, & tunc habet majorem influentiam. Nota, Saturnus eſt frigidus & ſiccus, ideo habet influere ſemini humidum & calidum, quæ ſibi contrariantur virtualiter, unde omnis actio fit gratia contrarietatis, quia ſimile additum alteri non agit in ipſum, unde agens & patiens in principio actionis ſunt diſſimilia, ſed in fine ſunt ſimilia, quia omne agens aſſimilatur ſuo paſſo in quantum poteſt mediante ſua virtute, quia omne agens naturale agit in ſuum contrarium, ſecundum ultimum ſuæ potentiæ, ut patet 2. de Cœlo. Nota, litera dicit actus activorum, &c. Hoc patet ex ſignis manifeſtis, eſt enim quidam piſcis generalis qui vocatur Scorpio, ille inficit manus piſcatoris per rete, & non inficit rete, quia rete non eſt diſpoſitum ad hoc, &c. Item ſol calefacit aërem, & non orbes ipſos, ſcilicet inferiores ſe, quamvis ſint ſibi propinquiores, hoc eſt, propter indiſpoſitionem materiæ, & ideo peccaverunt dicentes, Quod licet fieri ex quolibet hoc non, videlicet quia primus actus proprius habet fieri in propria materia ſibi diſpoſita. Item nota quod propriæ diſpoſitiones non corrumpuntur in adventu formæ. Et ex hoc deſtruitur opinio quæ

ponit,

ponit, quod poſtquam materia menſtrui eſt diſpoſita, & quando hominis forma introducitur, tunc diſpoſitiones primæ corrumpuntur, hoc non valet, quia tunc diſpoſitiones fruſtra præceſſerunt. Unde diſpoſitiones ſunt medium recipiendi illud quod fit de potentia materiæ. Nota, quod auctor in litera, oſtendit ſe eſſe catholicum, in hoc quod ponit, Deum primordialiter omnia diſpoſuiſſe. *Unde Philoſophi mere naturaliter loquentes ſic habent dicere, quod* ab æterno ſic Deus diſpoſuit planetas, & ſtellas, & non de novo: *& ideo Commentator ſecundo de Cœlo, totum cœlum periret propter illam inordinationem quæ fieret per illam ſtellam, & oporteret quod cœlum non moveretur.*

Poſthæc quæ dicta ſunt, Jupiter advenit, qui ſua gratia & virtute materiam diſponit, ad ſuſceptionem formæ membrorum: & caliditate ſua virtuali & cauſali materiam fœtus confortat, & ſua humiditate replet quæ fuerunt deſiccata à virtute Saturni in primo menſe, & ſic Jovi attribuitur ſecundus menſis.

Hic auctor exequitur de aliis planetis quantum ad formationem fœtus, videtur quod planetæ non formant ſic materiam fœtus, quia inter cauſam & effectum dicitur eſſe proportio: & ſi ſic, ſequeretur quod embryo generatus eſſet perpetuus, cum ipſi planetæ ſunt perpetui. Dicendum licet cauſæ propinquæ ſunt corruptibiles, ideo corrumpitur fœtus.

Tertio advenit Mars, qui ſua caliditate, & ſicci-

ſiccitate format materiam, dividens à lateribus brachia, & dividit collum à brachiis, & caput format, & huic operationi attribuitur tertius menſis.

Nota. Mars eſt calidus & ſiccus, & ideo ipſe habet formare crura & brachia, quæ ſunt ſicca. Oportet enim quod calor ſufficiens congreget partes terreſtres ſiccas, ſi debent fieri crura & brachia. Nota, quod ex litera habemus quod caput formatur prius à Marte quam cor à Sole. Hujus cauſa eſt ſecundum Medicos, quia in capite ſunt omnia principia vitæ, ergo, primo formatur. Sed Ariſtoteles ponit quod cor primo formatur, quia cor fluit ex omnibus membris.

Quarto menſe virtus Solis advenit, formas imprimit, cor creat, & animæ ſenſitivæ motum dat. Et hoc eſt verum ſecundum intentionem Medicorum & quorundam Aſtronomorum, tamen ſecundum intentionem Ariſt. cor inter omnes partes generandas generatur primo, & virtute ejus omnia membra naſcuntur, addunt enim quidam ad iſtam partem dicentes, quod Sol eſt radix totius virtutis vitalis, & tali operationi quartus menſis adſcribitur.

Item Phil. propter illum textum adſcribunt generationem hominis Soli, dicentes homo generat hominem & ſol, *ut dicitur 2. Phyſic. quia à Sole virtus radicalis dependet. Contra ſi ſic, ſequeretur quod homo deberet dici ſolaris & cæleſtis creatura, quia effectus ab eodem denomi-*

nominationem ſumit à quo habet entitatem. Dicendum quod Sol eſt cauſa remota, ideo non ſumit denominationem effectus à Sole.

Quinto tempore quædam exteriorum membrorum Venus ſua virtute perficit, & quædam exteriora format, aures, nares, os & virgam virilem in maſculis, & pudibunda, ſcilicet vulvam, mammillam, & alia membra in fœmellis: manuum & pedum ſeparationem facit & digitorum, & iſti quintus menſis aſſignatur.

Nota, Venus eſt benevolus Planeta, & eſt virtualiter calidus, ideo perficit membra exteriora, ſcil. os, & aures, & teſticulos, ſed videtur quod teſticuli debeant primo generari, quia ſunt principalia membra, ſicut cor & caput, mediantibus quibus ſe natura continue ſolvat. Dicitur, quod teſticuli non ſunt ita principalia membra, ſicut cor & caput, quia videmus teſticulis ablatis adhuc vivere hominem, ſed capite abſciſſo & corde ablato, ulterius ibi vitam non videmus.

Sexto tempore influentia & regnatio Mercurii inſtrumenta vocis format, ſupercilia componit, oculos fabricat, capillos creſcere facit, & ungues producit. Et iſti operationi ſextus menſis attribuitur, unde verſus.

Inſtrumenta novem ſunt, guttur, lingua, palatum,
Quatuor & dentes & duo labra ſimul.

Septimo tempore Luna operationi finem imponit: replet enim ſua humiditate anguſtias

ſtias carnis, & aurigenas carnes in ſuperficie complet. Venus vero & Mercurius humiditatem tribuentes toti corpori, nutrimentum dant. Et iſti operationi datus eſt ſeptimus menſis.

Item nota, Luna replet poros carnis, & facit fœtum eſſe plenum ſuperficie, ſcilicet in cute. Item ſi aliquis puer naſceretur in ſeptimo menſe, ille moreretur, quia non eſt adhuc debite formatus & conſolidatus, ergo, &c.

Poſtea influentia Saturni, cui octavus menſis adſcribitur. Et ille Saturnus multum infrigidat & ſiccat, & per conſequens ſtringit fœtum, & ideo aliqui Aſtronomi ponunt fœtum generatum in octavo menſe, moribundum vel mortuum eſſe, ut in ſequentibus manifeſtabitur. Deinde in nono menſe, dominatur Jupiter, qui ſua caliditate & humiditate fœtum lætificat: & fœtus qui generatur in iſto menſe, eſt fortis & bene diſpoſitus, & longæ vitæ, & eſt fortis gratia caloris, & longæ vitæ gratia humiditatis.

Hic auctor ponit in quo menſe Saturnus habet ſuum dominium, & dicit quod Saturnus in octavo menſe habet influere. Et nota, quod ſi in aliquo membro deficientes pueri naſcuntur, vel generantur cum quatuor digitis in manu, vel cum tribus, hoc eſt propter defectum materiæ. Similiter ſi generaretur cum ſex vel ſeptem digitis, hoc eſſet ex abundantia materiæ.

Eſt autem adhuc notandum, quod membra corporis organici duodecim ſignis Zodiaci at-

tri-

tribuuntur. Primum ergo ſignum totius ſphæræ cœleſtis eſt Aries, in quo quidem ſigno Sole exiſtente temperato, fit calidum & humidum, & tunc eſt motus ad generationem, ideo motus ſolis in arietem dicitur principium vitæ, & radix virtutis vitalis: propterea arieti attribuitur caput in homine & ejus conditiones. Nam aries in cœlo eſt dignior pars cœli, quia principium diviſionis ſphæræ per duodecim ſigna, ſicut caput in homine vocatur dignior pars corporis, & ideo merito arieti eſt aſſignandum, & quia Sol currens in hoc ſigno calidum & humidum naturæ movet, & caput in homine dicitur principium ſpiritus vitalis.

Poſtquam auctor oſtendit influentiam planetarum & ſtellarum reſpectu fœtus, nunc conſequenter proſequitur de effectu ſignorum. Nota: Aries eſt calidus & humidus & correſpondet Veri. Ver enim eſt calidus & humidus, & tunc animalia maximè appetunt coïtum, quia tunc augmentatur calidum & humidum gratia Solis exiſtentis in ariete, & maximè in viris tunc eſt appetitus. Propter hoc etiam mater Eccleſia ſtatuit jejunium magis in illo tempore quam in alio tempore, propter luxuriam illo tempore reſtringendam, quia tunc homines conſtricti hyeme revertuntur ad vigorem.

Unde Verſus.

Marte mares, Februoque canes, Majo mulieres.

Nota, Aries habet dominari ſuper caput in

quo

quo vigent omnes potentiæ animæ, pro tanto quia ipſe Aries eſt principium vitalis operationis, & ſic caput in quo vigent omnes potentiæ animæ, & ideo Medici dicunt quod virtus vegetativa corporis eſt in capite principaliter, determinate, ſed in corde originaliter. Sed dubium eſt utrum vita magis conſiſtat in corde quam in capite? Et videtur quod in capite, patet per Avicennam, qui dicit quod vidit arietem ambulantem corde extincto, hoc eſſe non poſſet, niſi vita haberet principium de capite. Sed contra hoc eſt Averrois in ſexto Phyſic. qui ipſum deridet, dicens ſe vidiſſe arietem currere hinc inde abſciſſo capite. Unde Averroës vult, quod vita principaliter & originaliter ſit in corde, ſed ex conſequenti in capite. Sed Medici ſunt multum ſenſuales, & hoc ideo, quia vident in capite eſſe ſenſus virtutum, ideo dicunt vitam conſiſtere in capite principaliter, ſed non eſt ita, immo in corde. Sed quid dicemus ad auctorem in litera, qui dicit quod caput eſt nobilior pars corporis? Dicendum quod hoc verum eſt ſecundum apparentiam & majorem operationem ſpirituum vitalium, quia in eo apparent magis operationes vitæ quam in corde. Unde non dubito quin natura nobiliorem & meliorem partem corporis collocavit in medio corporis, nam cor eſt primum vivens & ultimum moriens, hoc non eſſet niſi cor eſſet principaliſſimum membrorum corporis.

Tauro quidem collum, humeri & ſcapulæ Geminis attribuuntur, Cancro manus & bra-

brachia, & Leoni quidem pectus & cor & diaphragma, Virgini ſtomachus & inteſtinæ, & coſtæ & lacerti attribuuntur. Et hoc videtur eſſe medietas corporis ſecundum curſum medietatis cœli, videlicet ut à parte ſeptentrionali eſt annotata. Libra vero ſecundam partem corporis reſpicit, ſcilicet renes,& eſt principium cæterorum membrorum. Scorpio vero loca libidinis reſpicit, tam ex parte viri, quam ex parte mulieris. Sagittarius nates, & ea per quæ natura ſeceſſum demittit, & poſteriora reſpicit. Capricornus vero genua & alia inferiora reſpicit. Aquarius vero tibias reſpicit. Piſcis vero,quod eſt ultimum, formationes pedum reſpicit & plantas, & ſic breviter habitum eſt judicium ex parte duodecim ſignorum.

Hic auctor oſtendit de aliis ſignis dicens, patet in textu. Nota, litera vult in tantum quod Luna exiſtente in talibus ſignis, quæ reſpiciunt illa membra, ut patet in litera in illis membris, non debet fieri minutio ſanguinis Luna exiſtente in aliquo ſignorum.

Et non opinetur aliquis illa ficta fore. Nam fides hujus in multis experimentis valet inveniri. Noſcat ergo experimentum quivis, quod malum & venenoſum eſt tangere aliquod membrum Luna exiſtente in tali ſigno illius membri: & cauſa iſtius eſt, quia natura Lunæ auget humiditatem, quod experimur ad ſenſum, quod ſi carnes recentes ponantur de nocte ad radios Lunæ, ibi generantur vermes in

in carnib. & illud non ſemper apparet eodem modo, ſed præcipue in ſpeciali ſtatu Lunæ.

Hic auctor confirmat dicta ſua per experimenta. Nota, ſi carnes in plenitudine Lunæ ponerentur ad radios Lunæ, tunc converterentur in vermes, & tunc magis quam in alio tempore, quia tunc Luna eſt multum humida. Et ideo dicit auctor in ſpeciali ſtatu Lunæ, & hoc patet ſi aliquis vulneratus poneretur ad radios Lunæ, hoc noceret ſibi, quia omnes humiditates convenirent in locum vulneris, & Luna augmentat humiditates, & ſic humiditas nimis fieret intenſa: ſed ſi ponatur ad radios Solis, non eſt nocivum, quia radii Solis faciunt humiditatem exhalare, & ſic ex iſtis patet quod ſemper in plenilunio menſis majoratur humiditas, ſcilicet cerebrum, medulla & menſtruum, & ideo tunc difficile eſt ſtudere propter humiditatem cerebri nimis intenſam.

Ut illud ſane intelligatur, eſt advertendum, quod quatuor ſunt ſtatus Lunæ ſecundum Albertum in tractatu de ſtatu Solis & Lunæ. Luna vero in prima ejus intentione eſt calida & humida uſquequo eſt ſemiplena, poſt hoc nunc dicitur calida & ſicca, quouſque ſit plena. Deinde eſt frigida uſque eſt ſemiplena in decremento, ultimo verò eſt frigida uſque quo ſoli adjungitur, & in hoc ſtatu maxime humectat humida putrefaciendo, ideoque cum Luna augeat in omnibus membris humiditatem, tunc lædere membrum ferro eſt idem quod graviter vulnerare, quia malum eſt humiditatem ad-

dere

dere humiditati, & ſic per conſequens augmentatur nocumentum.

Hinc confirmat dictum ſuum. Nota quod prima quadra correſpondet aëri, qui eſt calidus & humidus, & qui generantur in iſta quadra, ſunt ſanguinei. Secunda quadra eſt ſimilis igni calido & ſicco, & tunc illo ſigno generantur cholerici. Tertia quadra correſpondet terræ quæ eſt frigida & ſicca, & tunc naſcuntur melancholici. Quarta quadra correſpondet aquæ quæ eſt humida & frigida, & tunc naſcuntur phlegmatici. Et ſecundum hoc dicunt aliqui, quod ſi carnes ponerentur ad radios Lunæ cum fuerit in quarta quadra, tunc citius converterentur in vermes quam in plenitudine Lunæ, quia tunc maxime eſt Lunæ humiditas vigoroſa.

Nota, ſi aliquis doluerit in quarta quadra, tunc non debet trahere ſanguinem, nec vulnerari & maxime in cerebro. Ratio eſt, quia tunc per illam vulnerationem humiditas augmentaretur nimis, & ideo fieret nocivum in membro.

Sciatis autem ſocii mei, quamvis quædam mulieres cauſam rei hujus occultam ignorant, tamen quædam mulieres bene effectum cognoſcunt, & plura male ex iſto operantur, ut cum vir eſt in coïtu cum eis, accidit quandoque viris magna læſio & gravis infectio ex infectione membri virilis per ferrum appoſitum per eas, prout quædam mulieres vel meretrices doctæ ſunt in illa nequitia & in aliis. Et

ſi fas eſſet dicere, hoc quidem deſcriberem, ſed quia proprium meum creatorem timeo, ideo de illis occultis ad præſens nihil manifeſtabo.

Hic ponit quædam notabilia, ut patet in litera. Nota quod quædam mulieres ſunt ita cautæ & aſtutæ, ut accipiunt ferrum, & apponunt vulvæ, & iſtud ferrum lædit virgam, ſed vir non percipit propter nimiam delectationem & dulcedinem vulvæ, poſtea tamen ſentit: ideo maxime cavendum eſt ne fiat coitus cum menſtruoſis mulieribus, quia exinde homo poſſet incidere in lepram, & quandoque in magnam infirmitatem, quia venæ tranſeunt à ſingulis membris ad teſticulos, ideo teſticulis læſis cito poteſt lædi totum corpus. Unde dicit Dia, ſi mulierem menſtruoſam ſcienter acceſſeris, totum corpus tuum infectum erit & multum debilitatum, quod vix infra menſem & verum colorem & fortitudinem rehabebis, & ſicut liquidum veſtimentis tuis adhæret, ſic ille fœtor omnia interiora hominis corrumpit. Dicit venerabilis Hippocrates de naturis hominum: Mulierem menſtruoſam non accedas, quia ex iſto fœtore aër corrumpitur, & omnia interiora hominis confunduntur. Nota, auctor timet Deum ſcribendo ſecreta uſque ad ultimum, ne aliquis expertus forte malum operaretur per illa ſecreta.

Item de quarto ſtatu Lunæ precipuè poſſumus effectum declarare prædictum alio experimento, quod ſumitur; quod radii Lunæ de nocte ſubintrantes & pervenientes ad caput dor-

dormientis, faciant dolorem capitis & fluxum rheumatis. Et cauſa hujus dicta eſt prius.

Hic ponit aliud experimentum de quarto ſtatu Lunæ: Nota, quod cauſa hujus eſt, quia tunc Luna eſt multum humida, & quia rheuma cauſatur ex ſuperfluitate humiditatis, ideo facit catharrum, unde verſus:

Jejunes, vigiles, faciens ſic, rheumata cures.

Et quia humiditas Lunæ perturbat humiditatem cerebri, & augmentat ipſam, gratia hujus augmentationis fit fluxus per nares, & ſi tunc illi radii invenirent vulneratum, uſque ad mortem læderent ipſum; ideo vulnerati præſervandi ſunt à radiis Lunæ.

CAP. III.

De Influentiis Planetarum.

POſt hoc vero ad influentias Planetarum (quos antiqui vocaverunt deos naturæ ſuper hominem ex parte corporis & animæ) nunc revertamur, &c.

Poſtquam vero auctor oſtendit quomodo per Planetas habet formari fœtus, hic oſtendit quomodo iſti planetæ ſe habent ad fœtum ex parte animæ, vel corporis, vel ſimul. Nota quod planetæ bene dicuntur dii naturæ. Ratio quia natura regitur ab ipſis, ſicut regnum à rege. Unde totus ille mundus ſenſibilis continguus eſt à ſuperioribus rationibus, ut tota virtus ejus inde gubernetur. Sed diceres, ſi planetæ

netæ ſunt Dii naturæ, quid tunc facit cœlum ſtellatum? Dicitur quod hoc eſt cauſa univerſalis naturæ & uniformis, ſed planetæ diverſificant effectum ſecundum eorum motum. Unde planetæ dicuntur à planos Græce, quod eſt planum, ſive error Latine, non quod in ſe errent, ſed quia ex eorum motibus fiunt diverſi errores in mundo & in effectibus.

Saturnus qui eſt ſuperior, obſcurior, & gravior & tardior aliis planetis cœleſtibus, facit natum qui ſub eo naſcitur, fuſcum in colore ex parte corporis, & planum in capillis nigris & duris, & caput turbidum & bene barbatum, & talis homo continet ſubtile pectus, & habet ſciſſuras in calcaneis figuraliter, & hoc eſt ſecundum diſpoſitionem figuralem. Secundum vero animam malus eſt, multum perfidus & malitioſus, iratus, triſtis, & malignæ vitæ, fœtida, diligens, & turpia veſtimenta ſemper induens, & non eſt luxurioſus, & in pluribus Venerem minime diligens, imo naturaliter abhorret: unde breviter notandum; quod ſecundum intentionem magiſtri mei in illa ſcientia experti, quicunque natus fuerit ſub Saturno, habet omnes malas diſpoſitiones corporis.

Hic auctor proſequitur intentum ſuum. Et dividitur in 7. partes, ſecundum quod 7. ſunt planetæ. Nota quod Saturnus eſt ſupremus planeta & complet curſum ſuum in 30. annis: ita quod redit ad idem punctum Zodiaci, à quo incipit. Et ſecundum Ptolomæum, &

ma-

magiſtrum Rabbi Moyſem Saturnus eſt planeta ſupremus, & maxime diſtat a terra, ita quod ad illam partem ubi tangit ſphæram Jovis, homo veniret à terra in 5734. annis, & in ſeptuaginta ſeptem ſeptimanis, & in 3. diebus, ſuppoſito quod dieta hominis eſſet decem miliaria. Et ſecundum Aſtronomos, Saturnus eſt tanta magnitudinis, quia eſt nonageſies major quam tota terra. Item dictum eſt in litera quod Saturnus eſt multum tardus in motu ſuo, hoc debet ſic intelligi quod in tempore longiori complet curſum ſuum. Unde Saturnus eſt bene trigeſies major Sole, quantum ad ſuum orbem; & ſicut Sol pertranſit ſuum orbem motu proprio per Zodiaci ſigna in uno, ſic Saturnus in 30. annis & ſic movetur vita velociter ſicut Sol. Verbi gratia, Si duo homines ambularent, unus per 30. dies perambularet triginta miliaria, alter unum miliare, tunc alter qui ambulat unum miliare, ambulat citius, non tamen velocior eſt in motu, eo quod in æquali tempore pertranſit de ſpatio ſecundum Philoſophum 6. Phyſicorum. Item nota quod litera dicit, Saturnus facit natum ſuum fuſcum in colore. Ratio eſt, quia Saturnus eſt ſimilis terræ, quia eſt frigidus & ſiccus, obſcurus, niger, & virtualiter facit natum obſcurum. Item facit natum pilis duris, quia eſt terreſtris complexionis, & ideo fœtus humores multos cauſat & groſſos, à quibus generantur groſſi pili. Item natus ejus eſt triſtis, quia melancholicæ complexionis virtualiter, & melancholici ſunt triſtes, quia ſemper inclinant

ſe ad terram. Item natus ejus eſt piger inceſſit, quia ipſe eſt gravis ſicut terra , & ideo difficulter mobilis. Item ipſe non appetit coïtum, quia eſt ſiccus , & ſi vult appetere , poſſet uti calidis bene conditis , & humidis cibariis. Item ille natus ſemper eſt invidus & perfidus , quia nullum habet gaudivm, ſed ſemper melancholizat, & ejus ſomnia ut plurimum ſunt vera : ſicut videmus fatuos , qui prædicunt ſæpe futura per phantaſias & melancholias, & ipſe ſemper cupit ſedere in angulo ſolitarie. Item nota , litera dicit quod ipſe habet ſciſſuram in calcaneis, id eſt , diviſionem in pedibus circa anteriorem partem , ſicuti equi : & calcaneus eſt una pars pedis in anteriori parte , qua primo terram calcamus , &c.

Jupiter vero ſtella regalis exiſtens, pia, dulcis & lucida , temperata & proſpera, facit natum optimum , quia nato ſub eo dat faciem pulchram , oculos claros , & barbam rotundam. Et figurat duos dentes ſuperiores magnos, & æqualiter diviſos. Et dat homini colorem album rubeo permixtum in facie, & facit longos capillos. Secundum animam vero, facit natum bonum & honeſtum ac modeſtum, & erit longæ vitæ , diligens honeſtatem , diligenſque veſtimenta pulchra, & ornata , & delectabiles ſapores & odores ei placent, & erit miſericors , largus , jucundus , virtuoſus & verax in ſermonibus , incedens honeſte , & multum proſpicit terram.

Ponit de ſecundo planetam , qui dicitur Jupiter

piter, unde ſecundum Aſtronomos complet curſum ſuum in 12. annis, ita quod ſub quolibet ſigno moratur ad unum annum, unde ſecundum Aſtronomos, Jupiter multum diſtat à terra, quia ad illam partem, ubi eſt propinquior terræ, homo veniret de terra in duobus millibus annorum & in 526. annis, & 4. ſeptimanis & 5. diebus, ſuppoſito quod dieta eſſet 10. milliaria: & magnitudo ejus eſt talis, quod quinquageſies eſt major terra. Item Jupiter dicitur fuiſſe ille, quia expulit patrem regno, ſic Jupiter expellit operationem Saturni, quia ſibi contrarius eſt per totum, ut patet in litera: quia ſecundum Aſtronomos, qui naſcitur ſub Jove, perveniet ad multos honores: facit faciem pulchram, & facies eſt nobilior pars corporis. Unde Jupiter plus laborat in facie quam in aliis membris, & facit hominem album rubedine permixtum: quia ille color eſt pulchrior inter alios, quia eſt ſanguineus. Item facit barbam rotundam, quia rotunda figura eſt nobiliſſima figura: ex ſecundo de cœlo. Et ideo caput pueri rotundum eſt diligendum, ideo nutrices ſolent comprimere & rotundare facies, & capita puerorum. Item facit capillos longos, quia facit natum calidum & humidum, humiditas enim cum calore eſt cauſa longitudinis pilorum, unde pilus eſt ſuperfluum & reſiduum humiditatis, quod exit per poros. Et qui cito barbeſcunt, ſunt bonæ complexionis: Item natus ſub Jove eſt bonus ſecundum animam, fidelis & addiſcens, & coïtum appetens, & bene appetens gratia caloris, po-

tens in opere gratia humiditatis ſufficientis, & bene capit ſingula quæ audit, quia habet ſpiritus habiles & ſatis humidos, quia humidus bene recipit, quia calidus bene delectatur. Et non piger, ideo ſpiritus ſenſuum exteriorum deferunt ſpecies ſenſibiles & virtutes interiores animæ, ſcilicet ad virtutem imaginativam & ratiocinativam.

Mars cum ſit intemperatus in caliditate & ſiccitate, ſecundum hoc facit natum ſuum rubei coloris cum quadam aduſtione & obſcuritate, ſicut videtur in his qui paſſi ſunt à Sole, & habet parvos capillos, parvos oculos, totum corpus habet curvum & groſſum aliqualiter. Secundum animam vero fallax, inconſtans, inverecundus, iraſcibilis, proditor, diſcordias & bella ſeminans, & ſuperbus erit.

Hic exequitur de tertio Planeta qui dicitur Mars. Nota, quod Mars movetur taliter ſub Zodiaco, quod complet curſum ſuum in duobus annis, & diſtat à terra ſic, quod ad illam partem ubi propinquior eſt terræ, homo veniret 400. *&* 90. *annis, &* 11. *ſeptimanis: & quatuor diebus, ſuppoſito quod dieta ejus eſſet novem miliaria. Item nota, caliditas & ſiccitas ſunt cauſæ aduſtionis, & criſpitudinis crinium, unde nota quod nati ſub Marte habent paucos crines, cauſa ſiccitatis: & habent curvos ſeu criſpos crines gratia aduſtionis. Iſta apparent, quia videmus cum calamiſtro ſumme calefacto crines criſpantur, patet etiam quod criſpitudo crinium arguit iracundiam.*

Item natus ſub Marte eſt rubei coloris, cum quadam obſcuritate, quia calor rubeus cauſatur ex eo, quia calidum agit in humidum, & conſumendo humidum relinquit ſiccum, ſicut videmus quando debent comburi lateres, quod ante combuſtionem non ſunt rubei, ſed poſtea conſumpto humido efficiuntur rubei. Et iſti nati habent parvos oculos, quia oculus eſt membrum in quo viget humiditas, quia oculus eſt aqueæ naturæ ab extrinſeco, ſecundo de anima: quod patet, ſi læditur, exit aqua, & Mars eſt calidus & ſiccus, ideo non poteſt formare magnos & pulchros oculos. Item Mars inducit bella, quia exſiccat cerebrum, & cor incendit, & ſic ira generatur circa cor. Unde ira eſt accenſio ſanguinis circa cor, & ideo Mars ſecundum antiquos vocabatur Deus belli. Item eſt fallax. Ratio, quia eſt ſiccus & calidus, & ſic ſemper eſt iracundus, & cogitat de malo, ut fallat homines & prodat. Item ſatis appetit coïtum, quia calidus, & modicum poteſt, quia caret humiditate.

Sol quidem regalis ſtella exiſtens, lumen mundi & oculus vocatus, natum ſub eo facit carnoſum & faciem pulchram, & oculos magnos, colorem album cum quadam rubedine, bene barbatum, & longos capillos. Secundum animam vero, ut quidam ſcribunt, facit hypocritam & malum, juſtum in exteriore parte apparentem, & facit homines multum ſcientes ſecundum aliquos. Sed inveni aliquos dicentes quod natus ſub illo planeta

eſt regularis, religioſus, profundæ devotionis, ſapiens, dives, diligens bonos, deprimens malos.

Sequitur de quarto planeta qui dicitur Sol. Unde Sol de ſua natura eſt planeta calidus, ideo influit nato ſub eo calorem, & eſt ſiccus, ſed temperate. Sed dices, ſi Sol eſt ſiccus ſicut Mars, quare non influit eundem effectum? dicendum quod propter caliditatem & ſiccitatem, Sol virtualiter eſt humidùs, & non ſiccus, niſi temperate. Item, Sol ſecundum antiquos dicebatur pater Deorum: quia Sol eſt principium vitæ, id eſt, influens eſſe omni rei, ita quod Sol per ejus acceſſum ad hæmiſphærium noſtrum influit fertilitatem, & generationem: & poſt ejus receſſum videmus flores areſcere, & terram fieri aridam, & in quolibet ſigno manet quadraginta dies, & curſum ſuum perficit in uno anno, motu proprio & naturali. Et ſecundum Aſtronomos tantum diſtat à terra, quod ad illam partem qua propinquior eſt terræ, homo veniret in 400. *&* 30. *annis, &* 26. *ſeptimanis, & duobus diebus, ita quod dieta ejus eſſet* 10. *miliaria. Item natus ſub Sole eſt hypocrita: & dicitur ab* hypo, *quod eſt* ſub, *&* criſis, *aurum, quia habent malum ſub auro, id eſt, ſub bona apparentia.* Verſus.

Omnis hypocrita facie tenus eſt heremita.
Mente licet tacita latens ſanguis aconita.

Item Sol calefacit temperate, & ideo facit natum ſub eo magnæ ſapientiæ, quia calor ſaltem moderatus eſt inſtrumentum operandi virtutes

tutes animæ, quia calor facit ſpiritus agiles & promptos. Item dicunt quidam, natus ſub ſole libenter vult mitti in exilium, quia amabilis eſt & jucundus: & ideo Deus providebit ſibi de omni bono: Item Sol ſecundum Ptolomæum in Centiloquio ſuo, dicitur eſſe octies major quam tota terra.

Venus eſt ſtella benevola & facit natum pulchrum, & maxime oculis & ſuperciliis carnoſum, mediocris ſtaturæ, ſecundum animam vero blandum, facetum, eloquentem, muſicalia diligentem, voluptatem, gaudium & choream deſiderantem, ornatum corporis diligentem & ſuaviter intercedentem.

Proſequitur de quinto planeta qui dicitur Venus. Unde Venus habet plura nomina. Primo dicitur Venus è venerando, quia antiqui venerabantur eam cauſa amoris. Etiam dicitur Lucifer, quia de mane lucem indicat, quando Solem præcedit. Secundo veſpere dicitur Heſperus, quia veſperum de nocte indicat, ſolem tamen ſequendo, & habet calorem candentem & fulgentem inter ſydera, & complet curſum ſuum in 300. & 38. diebus, & Venus eſt in magnitudine ſicuti una pars de 28. partibus terræ & ſecundum Aſtronomos diſtat à terra, quod ad illam partem ubi propinquior eſt terræ, homo veniret, in ſexaginta quinque annis, & 19. ſeptimanis, & una die: ſuppoſito quod dieta hominis eſſet decem miliaria. Nota, Venus eſt planeta calidus & humidus virtualiter, & facit natum luxurioſum & pulchrum, quia gratia

humiditatis facit ipſum poſſe in opere. Item facit natum diligere muſicalia, quia muſica eſt utilis pro cantantibus, & amatoribus, quia carmina confortant amorem. Item nota, ſuppoſito quod Venus & Saturnus venirent, ſecundum appoſitum, tunc natus illo tempore non eſſet omnino malus, nec bonus, ſed medio ſe haberet modo; quia bonitas Veneris retardat malitiam Saturni quantum poteſt, & ſic facit medium.

Mercurius quem Aſtronomi ſolent aſſequi, aſſerunt & ejus radios contrahi, facit natum corpore gracilem, ſatis parvæ perſonæ, barbæ pulchræ & raræ. Secundum animam vero erit ſapiens & ſubtilis, Philoſophiam diligens & ſtudium, & erit bonorum morum & perfecti ſermonis, & ille multos acquiret amicos, & tamen non multum fortunatus. In eo bona conſilia vigent, verax & nullius perfidiæ, expers infidelitatis & inſcius, & non conſcius, id eſt, ſocius in malo.

Hic exequitur de ſexto planeta qui dicitur Mercurius. Nota, quod Mercurius ſemper graditur cum Sole, & nunquam ab eo diſtat amplius quam 30. gradibus. Calorem habet radiantem, raro propter vicinitatem ſolis videtur, ſed tamen in meridie mediante ſpeculo videtur. Et dicitur Mercurius, quaſi Mercatorum Kyrios, id eſt, dominus, quia Mercatores indigent eloquentia. Unde Mercurius dicitur Deus eloquentiæ, & complet curſum ſuum in 333. diebus, ita quod Modicum minus quam per annum, & quantitas Mercurii eſt ſicut una pars

de 22000. partibus terræ, ideo ſtella eſt parva.

Litera dicit quod Mercurius contrahitur à radiis Solis. Ratio eſt, quia continue movetur ſub Sole, & propter radios Solis videri non poteſt, quia majus lumen offuſcat minus. Item natus ſub eo diligit Philoſophiam, quia facit natum ſubtilem ſecundum animam, ideo diligit ſubtilia. Item Mercurius facit hominem loquacem, multas patitur infirmitates, eſtque boni conſilii.

Luna cum ſit velocioris motus, facit natum vagabundum, ſermone verum, nullius ſervitii, jucundum & mediocris ſtatutæ, & habet inæquales oculos, ſcilicet unum altero majorem.

Exequitur de ultimo planeta qui Luna dicitur. Septimo nota quod Luna eſt velociſſimi motus, ideo natus ejus eſt vagus, nec poteſt durare in aliquo officio vel ſervitio. Et quod Luna eſt velociſſimi motus patet, quia quanto Planeta eſt inferior, tanto citius movetur, quia Luna complet curſum ſuum in 27. diebus & 7. horis. Secundum Aſtronomos tantum diſtat à terra, quod ad eam partem ubi propinquior eſt terræ ad concavum orbis Lunæ homo veniret in 12. annis, & 58. ſeptimanis & 3. diebus, ſuppoſito quod dieta ejus eſſet decem miliaria cum dimidio. Nota quod Luna habet lumen à Sole, & quando currit cum Sole, habet majorem vigorem & vim ut in novilunio, & in quolibet menſe anni complet curſum ſuum per 12. ſigna. In Luna videmus maculam, & cauſa hujus eſt per Comment. ſecundo de Cœlo, quia

Luna eſt corpus rotundum & rarum & denſum ex nubibus, & ideo in medio propter raritatem non poteſt reverberare lumen Solis, & penetrat ipſum in medio, & per hoc patet obſcuritas.

Et ſciendum quod omnes ſtellæ & aliæ partes corporis ſupercœleſtis illa officia divinitus exequuntur, & ſemper ſic agunt, & ſic nunquam expediuntur quantum ex parte eorum, & ideo fas eſt dicere ſecundum ea quæ dicta ſunt, omnia inferiora à ſuperioribns reguntur, & ideo illa quæ divino ſacrificio & beſtiali immolatione, & alia quæ in mundo ſunt, non poſſunt removere actionem corporum ſupercœleſtium dantium vitam & mortem.

Hic auctor ponit unum notabile quod prius dictum eſt, quod natus ſub diverſis planetis diverſimode regitur & producitur. Diceret aliquis, quomodo, quare, vel per quem ſunt ſtellæ ſic ordinatæ? Reſpondetur, quod per divinam naturam talis ordinatio facta eſt. Deus enim ſic ordinavit dominia planetarum, & illud patet 12. Metaphyſ. Et auctor vult quod per jejunium & ſacrificium beſtiarum non poteſt removeri planetarum curſus. Illud probatur quia motus cœli ſemper eſt uniformis & regularis 7. Phyſicor. & ſemper invariabilis. Sicut ergo Deus inſtituit ab æterno, ſic ab æterno, vel in æternum permanebit. Sed contra,

Sapiens dominabitur aſtris,

Secundum Ptolemæum & Theologos, & hoc non eſſet, niſi curſus planetarum & effectus impediri poſſent. Reſpondetur quod ſapiens ſic domi-

dominatur aſtris quando videret aliquem effectum Saturni de neceſſitate ut frigiditas, tunc poteſt ſe cavere à nocumento, ſed non poteſt impedire eorum effectum ſimpliciter, quando ita ſemper agant. Et auctor loquitur naturaliter, cum dicit, per ſacrificia non poteſt removeri effectus planetarum, quia Theologus tenet ibi oppoſitam partem, quia omnia ſunt in potentia Dei, & Deus agit libere, & ſæpe exaudit orationes fidelium.

Ex iſtis verbis ſic forte aliquis crederet me ſic cadere in duplici peccato. Primo quidem quia ſtatim viſa ſuperficie verborum concluderet ex eis verbaliter, omnia neceſſitate venire. Secundo quod me occultorem Chriſtianæ fidei vellet dicere: ſed quia declaratio amplior eſt in hac parte, idoneam omittimus. Et de illis planetis & utiliter de ſuperioribus corporibus cœleſtibus quoad influentiam reſpectu inferiorum in tantum dictum eſt. Eſt autem notandum, quod aliquando plures fœtus naſcuntur in matrice, hoc autem eſt per diſgregationem ſeminis in ipſa matrice, quia matrix habet cellulas in ſe: cum autem in qualibet cellula recipitur materia fœtus, ibi fiunt multi.

Hic reſpondet cuidam quæſtioni, quia aliquis poſſet contradicere auctori. Ex dictis namque patet, quod omnia neceſſitate veniunt, quia eveniunt juxta curſum planetarum, & ille non poteſt impediri, ſecundum auctorem. Unde omnia bene eveniunt ex neceſſitate conditio-

ditionata, ſed non abſoluta, hoc declarat, quia quilibet effectus de neceſſitate evenit, ſtantibus ſuis cauſis neceſſariis & infallibilibus, ut dicit Ariſtoteles ſecundo Poſteriorum: ſed quia major quandoque eſt indiſpoſita, ideo eorum effectus impediuntur per accidens: & ſic ſuppoſito quod virtus planetarum in tali ſigno inducat mortem, tamen adhuc homo per remedia poteſt conſervari: & ſic materia non eſt diſpoſita, ſeu apta ad talem effectum. Ex illo patet error illorum, qui dicunt omnia evenire de neceſſitate conſtellationis.

CAP. IV.

De generatione animalium imperfectorum.

UT autem ea, quæ dicta ſunt, lucidiori lumine cognoſcantur, & quomodo aliquando plures fœtus fiunt in matrice, & plures pueri naſcuntur ſicut duo gemelli, opportunum eſt modicum tranſgredi ab hominis generatione, & videndum eſt de generatione animalium imperfectorum, quæ non ex ſemine, ſed ex putrefactione generantur. Juxta quod notandum, quod animalia imperfecta, ſicut muſcæ & ſimilia, non ſemper eodem modo generantur, ſicut perfecta animalia, quia per deciſionem ſeminis non generantur, ſed ex putrefactis, ut patet 4. Metaphyſ.

Caput quartum, in quo auctor agit de formatione fœtus in utero, & primo facit digreſſum à propoſito. Secundo regreditur ad propoſitum, ubi

ubi reſpondeamus, quod muſcæ & araneæ ſunt animalia imperfecta, non ſunt de perfectione univerſi, non tamen ſunt omnino fruſtra, quia natura ipſa ordinavit, ut malos humores abſorbeant, ut eo melius homines à malis humoribus præſervarentur.

Utrum autem animalia eadem ex ſemine vel ſine ſemine generantur, dubitatio eſt apud plures. Opinio enim Avicen. lib. de diluviis, eſt, quod eadem animalia ex ſemine & ſine ſemine benerantur: & hoc declarat, quia diluvium fieri poteſt adhuc univerſale, & in tali diluvio corrumperentur omnes viventes: corruptis autem omnibus viventibus fierent influentiæ in cadavera mortuorum, quæ putrefacta ſunt, & tunc ex virtute cæli generabuntur eadem, quæ prius fuerunt. Ita quod unum generabitur ex putrefactis, & aliud per deciſionem ſeminis ſibi ſimile generabitur in ſpecie; igitur eadem ex ſemine & ſine ſemine generabuntur. Et declarat poſſibilitatem hujus ad ſenſum dicens: Capiantur capilli mulieirs menſtruoſæ, & ponantur ſub terra pingui ubi jacuit fimus tempore hyemali, tunc in vere ſive æſtate quando caleſcent calore Solis, generabitur ſerpens longus & fortis, ille ultra generabit ſibi ſimilem in ſpecie per deciſionem ſeminis. Et illud idem declaratur in mure, quia tempore ſuo quidam mus erat factus ex putrefactione, & ille ultra ſibi generavit ſimilem in ſpecie ex ſemine, plures poſſent adduci rationes, ſed prædicta ſufficiunt, quia longum eſſet omnia

omnia accidentia ad illam materiam enarrare.

Hic auctor movet dubium. Primo ponit opinionem Avicennæ & rationes ejus. Secundo reprobat illam ibi breviter. Ad illam opinionem nota, quod Avicenna poſuit datorem formarum, ut per Commentatorem 12. Metaphyſicorum & 4. & ideo ipſe ultra poſuit quod virtus divina, mediante motu planetarum, poſſit infundere formas, & dare eſſe: tunc ultra ex putrefactione rebus generatis illa utraque generans ſibi ſimilia: ſicut poſuit, ſi virtus ſolis in terra producit plantam, quod illa, mediante fructu & ſemine, poſſet producere aliam plantam. Nota quod crines mulierum menſtruoſarum ſunt multum humidi, groſſi & venenoſi, & ideo ſi ponantur ſub pingui terra in hyeme, generabuntur humiditates & venenoſitas per Solis virtutem, & poſſunt verti in ſerpentes. Sic dicitur baſiliſcus fieri artificialiter in fimo ex ovo. Unde fimus eſt terra pinguis, arvinata, humiditate repleta, ideo facit aliquid fructificare, unde in terra arida & ſicca illud non habet veritatem, in hyeme fimus ab intra eſt humidus & calidus ſufficienter, quia frigus circumſtans non permittit calorem innatum exhalare & recedere. Nota quod mus, qui generatur ex putredine terræ, eſt groſſior alio mure generato per deciſionem ſeminis, & ille habet caudam majorem, & eſt multum venenoſus, quia materia fuit putrida valde, ex qua productus eſt. Item Avicenna poſuit quendam vitulum cecidiſſe de cœlo, quem dixit generatum fuiſſe in aëre ex putrefactione.

Sed

Sed breviter ad illam opinionem dicendum eſt, quod ipſa non eſt vera. Et ratio eſt, quia ſecundum Philoſophum 8. Phyſic. ſicut aliquis habet propriam materiam, ſic proprium habet agens, quia tali materiæ eſt talis forma, quia alius eſt actus materiæ, & alius eſt actus formæ, ut dicitur 8. Metaph. & cum illa animalia habent diverſas formas, ergo & materias, & per conſequens diverſa agentia & generantia habebunt. Intentio enim Phil. 8. Phyſic. eſt, quod eadem animalia, ſaltem ſecundum ſpeciem, poſſent fieri ex ſemine, & ſine ſemine, ſicut ſanitas quandoque fit ab arte, quandoque à natura. Sed in hoc differt ab Avicenna, qui ait, quod nunquam animalia perfecta ſine ſemine fiant: ſecundum autem Philoſ. hoc non eſt verum: differt etiam ab eo, quia ſecundum doctrinam Phil. 1. Meteor. Diluvium univerſale eſt impoſſibile apud naturam, tam per ignem quam per aquam. Et hanc rationem ponit Albertus, quod diluvium fit ex conſtellatione humectante, ideo ſi conſtellatio humectans reſpicit unam partem terræ, tunc alia oppoſita terræ reſpicit aliam partem, ſcilicet conſtellatio deſiccans: Et quantum una humectat in una parte, tantum alia deſiccat in alia parte, ideo impoſſibile eſt quod dicit Avicenna.

Hic improbat opinionem Avicennæ, Et non rationem Commentatoris, probando quod generatum ex ſemine, & ſine ſemine, differunt ſpecie, ſic quod agens eſt diverſum & recipiens diverſum, & ſic receptum erit diverſum, ſed à propagatis, & putredine generatis,

ratis, ſic eſt quod materia eſt alia, ſcilicet ſemen, & putredo, igitur, &c. Item agentia ſunt duplicia, ſicut virtus Solis & ſtellarum cum calore incorporata inputrefactis ab una parte, & agentia à quibus ſemina deciduntur ab alia parte, ſcilicet in propagatis: ſic illi duo mures differunt ſpecie, & ſi ſerpens generatur à crinibus, & ultra alius generatur per deciſionem ſeminis, illi differunt ſpecie. Nota quod impoſſibile eſt fieri diluvium univerſale, quia planetæ non poſſunt ſic concurrere, ſed bene fit diluvium particulare. Ut ſi omnes planetæ frigidi concurrerent in frigido ſigno piſcium, quia illud ſignum eſt ſumme frigidum, ideo contingere poſſet, quod diluvium tunc generaretur in una regione, quam illud ſignum reſpicit, & ſic non poſſet fieri, niſi miraculoſe univerſale diluvium. Legitur enim quod factum eſt diluvium univerſale propter malitiam hominum, de illo nihil hic ad propoſitum, cum naturaliter loquamur. Ex dictis nota, per experientiam videmus, quod tempore hyemali in una regione plus generatur de aqua, & in regione oppoſita, ubi eſt æſtas, plus generatur de aëre & igne, ſecundum curſum planetarum.

Reſpondeamus & dicamus, quod eadem ſine ſemine generantur, & cauſam hujus generationis reddit Philoſ. 4. Meteororum dicens: Calor diſgregans corpus mixtum, facit per hoc quod ſubtile extrahit, & relinquit groſſum: & non eſt abſolutè calor, ſed eſt virtus conſtellationis cœleſtis. Et Philoſophi intentio eſt, quod materia ex qua animal ſine ſemi-

ne

ne naſcitur, eſt aliqua humiditas ſubtilis, in qua quidem calor naturalis ſæpe agit ex parte cœli, qui dum proportionatus eſt materiæ, in quam quidem materiam forma talis animalis debet introduci, quam humiditatem calor cœleſtis jam dictus ſegregat à qualibet parte groſſi terreſtris. Et ſecundum intentionem Philoſophi 7. Meteororum, hæc generatio eſt univoca, ſaltem virtualiter, non autem formaliter. Per hoc ſolvitur dubitatio, quam quidam faciunt dicentes: Omne quod generatur univoce, ex ſibi ſimili generatur in ſpecie. Verum eſt, aut formaliter aut virtualiter, ut jam dictum eſt. Circa hoc nota, quod ex eadem materia plura animalia imperfecta naſcuntur, ut ex Equi ſtercore naſcuntur muſcæ, veſpæ & plura alia, & diverſi coloris & figuræ, & ſimiliter ſcarabæi.

Hic ſolvit dubitationem & reſpondet ſecundum intentionem ſuam. Nota, quod ſecundum Albertum talis eſt modus generationis animalium ex putredine, quia calor Solis quando protenditur uſque ad materiam putridam, tunc extrahit humidum ſubtile ab illa materia, & generantur quædam pellicula, ita quod calor interior non permittitur exire, & tunc virtute Solis ille calor qui eſt in materia putrida petit exitum, & impeditur, & ex tali motu ſurſum & deorſum generatur quidam ſpiritus pulſans: mediante quo ſpiritu vita producitur in tali materia. Et ſi quæratur utrum ille ſpiritus pulſans ſit ſubſtantia vel accidens. Dicendum quod

eſt

eſt ſubſtantia, quia mediante virtute formativa, ille ſpiritus agit, & quia agens non niſi mediante ſpiritu ſubſtantiam producit, ideo neceſſe eſt illum ſpiritum eſſe ſubſtantiam, & ille ſpiritus eſt corpus ſubtile, generatum ex ſubtiliori parte materiæ mediante putredine. Sed dubitatur utrum ille ſpiritus ſit animatus vel inanimatus. Dicendum eſt quod ille ſpiritus non eſt formaliter animatus, ſed virtualiter, quia educit animam viventis effective de illa materia putredinali. Et ideo Avicenna in duodecimo Metaphyſicorum, in illa digreſſione ubi improbat Averroëm, Platonem & Themiſthium, quod ex putredine generantur ranæ. Sed auctor dicit, calor Solis attrahit humidum à putredine. Probo per experientiam. Accipio unum murem putredinalem, & ponam in locum ubi ſunt radii ſolares in vigore, invenio quod calor ſolis facit exhalare totam materiam muris, ita quod nihil remanet ibi niſi pellis. Nota quod generatio ſexto Metaphyſicorum dividitur ſic, quædam univoca, quædam æquivoca. Æquivoca eſt quando formaliter generans & genitum differunt ſpecie, ut ſi generatur mus de terra, &c. Univoca eſt, quando generans & genitum conveniunt in ſpecie, ut homo generat hominem, vel equus equum. Et ex illo ſolvitur dictum Philoſophi 6. Metaphyſ. quando dicit: Omne quod fit à ſimili ſub ſpecie fit: *Verum eſt de generatione univoca, ſed non æquivoca. Nota quod animalia generata ex putredine, non habent ſemper eundem colorem, ſpeciem, vel figuram.*

Ra-

Ratio eſt, quia iſta animalia differunt ſpecie, modo quæcunque differunt ſpecie, etiam dicuntur differre figura, & in colore naturali, quia iſta conſequuntur formam.

Cauſa autem diverſitatis illorum animalium eſt diviſio ſeminis in matrice, & illud eſt verum principaliter in animalibus perfectis. Et eſt notandum, quod in matrice mulieris plures ſunt cellulæ, quando tunc ſemen deciſum à parte ſic colligitur, quod in unaquaque cellula matricis pars ſeminis ſic recipitur, tunc eſt modus generationis plurium fœtuum, & ille modus generationis reſpectu animalium imperfectorum accipit ſimile, ita quod ibi ineſt aliquid loco matricis, & aliquid ſeminis. Et ideo talis humiditas dividitur per loca eductionis fœtus in putrefactis, & ideo multiplicantur animalia. Et cauſa ſimilitudinis talium animalium, ſimilitudo humidi educti de corpore in partes homogeneas & diverſas ſpecies talium animalium ſumitur per oppoſitum, ſcilicet per humidum eductum in partes heterogeneas.

Hic auctor infert cauſam, quare aliquando plures pueri naſcuntur. Unde plures ſunt cauſæ plurium fœtuum particularium. Prima eſt diviſio ſeminis in cellulas, & non ſufficiens: quia expertum eſt per obſtetrices, quod ſemel una domina peperit maſſam carneam, continentem ſeptuaginta figuras hominum: modo certum eſt quod non ſunt cellulæ matricis. Secunda cauſa eſt abundantia ſeminis, & tunc dividitur & ſpar-

ſpargitur, & fiunt plures fœtus. Tertia cauſa eſt, quia quando mulieres in coitu nimis movent ſe, & tunc circum diſpergitur ſemen, & fiunt plures fœtus.

Quod autem quædam animalia generata ſunt longe & ſtricta, & quædam brevia, hoc eſt ex diverſitate complexionis humidi, quia ex cholerico, calido & ſicco generatur corpus longum, ſtrictum, & gracile, eo quod calor in eo multum extenditur. Ex phlegmatico, frigido & humido generatur animal breve & latum, quia humor aqueus eſt multum dilatabilis, & frigiditas non multum extendit ipſum. Sed ex ſanguineo, calido & humido generatur animal medium inter longum & breve, propter calidum & humidum temperatum. Sed ex melancholico generatur animal ſtrictum & breve, quia frigiditas non permittit ipſum extendi, & ſiccitas non permittit ipſum dilatari. Ex cholerico autem accidentali & aduſto, generatur animal longum & valde gracile, quia fervor caloris ejus multum extenditur, & ſiccitas mediata & moderata attenuatur. Et eſt notandum, quod cholericus eſt crocei coloris, ut frequentius, & ſanguineus rubei coloris, melancholicus nigri coloris, & phlegmaticus albi coloris. Et quorum natura permixta fuerit, horum qualitas & color neceſſario permixtus erit. Sic ergo in hoc capitulo habemus modum generationis animalium imperfectorum ad ſimilitudinem perfectorum, & quomodo plures

fœ-

fœtus ſimul fiunt, tam in perfectis quam imperfectis, & quare aliquod animal eſt longum & aliquod breve, aut quare talis coloris, ut frequentius.

Hic auctor oſtendit cauſam, quare quædam animalia generata ſunt longa, & quædam brevia, ut ſatis patet in textu. Nota, quod nullus homo ſit purus cholericus, phlegmaticus, ſanguineus, vel melancholicus, ſed omnes ſunt mixti, ſed unus bene plus habet de ſanguine quam alter, quia nullum eſt animal, in quo elementa æqualiter dominantur, ut probat Averroës 1. *de Cœlo, quia ſi hoc eſſet verum, homo ubicunque poneretur quieſceret, quod eſt impoſſibile. Et tantum de generatione animalium imperfectorum.*

CAP. V.

De exitu fœtus de utero.

NUnc autem ad ſuperius dicta de generatione & formatione embryonis in utero materno, ſermonem noſtrum convertamus, & de modo exitu dicamus. Et primo videndum eſt, quomodo iſtæ tres potentiæ animæ, ſcilicet vegetativa & intellectiva, veniunt ad materiam fœtus, ſive quo ordine. Juxta quod eſt notandum, quod illud eſt alterius negotii quam præſens materia requirit, quia reſpicit ſcientiam lib. de Animalibus: tamen in quantulum de ipſo breviter tangamus.

Primo præmittit quædam neceſſaria. Litera dicit quo ordine, quia inter iſtas potentias eſt ordo perfectionis communitatis, ideo dicit Comment. 1. Metaphyſ. de erroribus, quia primo recipiuntur, & accipiunt formas univerſales, & poſtea minus virileſque ad determinatas, ergo ſemper eſt ordo.

Sperma vero collectum in matrice mulieris augmentatur ſtatim quando infuſum eſt ei, & quando matrix eſt bene clauſa, ſed alimentum ſive augmentum eſt à potentia animæ vegetativæ, quia ſpermate deciſo à patre vel generante, demiſſa eſt iſta potentia vegetabilis: & hoc patet 2. de Anima. Ubi dicitur quod potentiæ vegetativæ ſunt duo opera, ſcilicet generare & alimento uti, quia planta generat plantam, animal vero animal. Unde videtur quod ab illa anima fluat virtus generativa proficiens, ſeu competens generationi embryonis, poſtea vero tempore ſubſequenti ſecundum exigentiam naturæ ſuperadditur materiæ anima ſenſibilis, & poſtea anima illius ſpeciei vel illius. Et illæ virtutes ſcilicet vegetativa & ſenſitiva, diſtinguuntur per operationes, quæ ultra differunt per objecta, & non differunt illæ duæ potentiæ, ſcilicet vegetativa & ſenſitiva, ita quod ſunt duæ potentiæ diſtinctæ ſecundum eſſentiam: eſt enim una & eadem eſſentia vegetabilis, quamvis non eodem modo, & hoc dicit Phil. 16. de anima. Embryo primo vivit vitam plantæ, ſecundo vitam animalis, tertio vitam hujus ſpeciei vel hujus.

hujus. Etiam additur in homine virtus intellectiva, quæ non generatur à materia, ſed à cœlo, & de formis infuſa, unde eſt finis & perfectio omnium formarum exiſtentium inferius. Jam conſuevit apud medicos dici, quod prima vita eſt latens & occulta, media apparens & manifeſta, ultima vero excellens & glorioſa. A prima eſt ſenſus naturalis, à ſecunda ſenſus animalis, à qua eſt ſenſus, viſus, auditus, & etiam motus voluntarius: à tertia vero eſt ſenſus ſpiritualis, à quo importatur diſcretio & perſecutio, & ſic de aliis.

Hic auctor oſtendit intentum ſuum, oſtendendo, quomodo iſtæ tres potentiæ veniunt ad materiam. Nota quod ſpiritus & ſemen viri eſt quodammodo vitalis, quia vivit vitam hominis. Et quando iſtud recipitur in matricem vivam, & calidam, tunc operatur in ſemine mulieris, & virtus vegetativa & formativa primo generat pelliculam ſecundinam, cui ſemen involvitur, & ſic continuo ſe movet ad ſemen mulieris, & penetrat in materiam longam, latam, & profundam. Et incipit ibi virtus formativa, & generat ſpiritus pulſantes, & pulſatiles, & in eo generat illos ſpiritus pulſantes, facit materiam vivam, & format venas & nervos, in quibus currunt illi ſpiritus. Unde ſpiritus venæ pulſatiles, vel ſaltem proportionabiles ejus, inveniuntur in arboribus & in plantis, & tunc materia ſic vivente vita ſpirituum, qui vegetant illam materiam ſenſitivam, recipitur in illa materia. Et tunc

in

in homine in materia ſtante ſub anima cognitiva, quæ eſt ultima forma naturalis, per virtutem Dei & cœli intellectus infunditur & introducitur. Unde loquendo tam Phyſice quam Theologice intellectus non educitur de potentia materiæ, quia intellectus non eſt corpus nec virtus in corpore, per commentatorem tertio de anima, commento quinto & quarto. Sed Theologicè loquendo, tunc anima eſt forma ſubſtantialis corporis humani, dans ſibi eſſe ſubſtantiale. Sed Averroës ponit, quod intellectus copulatur nobis ſolum à generatione, & per copulationem phantaſmaticum, ſicut nauta navi per navigationem, & ponit quod ſit unus in omnibus hominibus, & ille articulus eſt ab Eccleſia condemnatus, qui enim hoc credunt, ſalvari non poſſunt. Et per hoc tenent potiſſimum Ariſtotelem eſſe damnatum, quia in illa opinione videtur mortuus fuie. Item quod ad minus dubitavit ſic, quod non firme credidit quemlibet hominum habere diſtinctum intellectum à Deo creatum, ſicut videtur in 2. de Anima. Nota quod illa forma dicitur educi de materia quæ extenditur extenſione materiæ, ita quod tota eſt in toto, & pars in parte extenſive, ut anima ſenſitiva in corpore pedali eſt pedalis, & in ſemipedali ſemipedalis, licet ſit tota in toto virtualiter. Nota, quod auctor videtur ponere illud quod potentia vegetativa ſit pro aliquo tempore in materia pro quo non eſt ſenſitiva. Illud eſt verum manifeſtative, ita quod prius manifeſtantur opera hujus potentiæ

&

& prius apparet fœtum nutriti & augmentari antequam ſentiat & ſe moveat.

Tempus vero egreſſionis fœtus ab utero materno, ut frequentius eſt in nono menſe, quibuſdam tamen in octavo, quibuſdam in x. & in xi. & etiam ultra. Quædam vero mulieres ſolent parere in vi. menſe & abortivè, ideo naturam hominis non producunt, ſed aliquam materiam carneam & lacteam. Illud autem accidit eis propter plura, ut patet: quia materia menſtruorum corrupta eſt vel per nimium motum per quem rumpitur matrix, vel propter alia mala. Et ideo meretrices & doctæ mulieres vel lenæ in hac arte, quando ſentiunt ſe imprægnatas, movent ſe de loco ad locum, de villa ad villam, ducunt choreas, & multa alia mala, & frequentius multum coëunt, & luctantur cum viris, ut per motum liberantur à conceptione, & cupiunt coïtum ut per delectationem obliviſcantur dolorem qui generatur ex deſtructione fœtus.

Hic auctor exequitur intentum ſuum de regreſſu fœtus. Nota quod omnis fœtus qui egreditur in nono menſe, ut ſæpius vivit, quia ille fœtus eſt bene maturus & ſatis fortis, quia nonus menſis correſpondit Jovi. Jupiter vero eſt benevolus planeta, ſcilicet calidus & humidus. Ideo eſt miniſtrator & nuncius vitæ, vita autem conſiſtit in calido & humido. Auctor dicit, quandoque in xi. *menſe fit egreſſus, & illud non eſt verum, ſed mulieres decipiuntur in computatione; quandoque concipiunt unam maſſam ſemi-*

D *nis*

nis, & poſt aliam quindenam imprægnantur, & tunc putant ſe concepiſſe prius, unde illa maſſa prius concepta ejicitur, & emittitur tempore conceptionis. Nota quod quando puer primo egreditur, tunc ponit digitum ad os ex ſuæ naturæ exigentia. Ratio quia puer exit de matrice tanquam de balneo calido, & tunc veniens ad aërem ſentit frigus, ideo ponit digitum ad os calidum, ut calefaciat ipſum. Item quando naſcitur tunc ſonat, quia patitur ab aëre frigido. Et ſi facit clamorem in ventre ſignum eſt quod non erit vivus, quia aliunde non faceret clamorem, niſi à quadam læſione vel preſſura.

Eſt autem notandum quod juvenes ex timore, & ex ictu tonitrui ſæpe diſponuntur: quod fœtus vitam habens moritur, & ſi vitam non habuerit, poſſibile eſſet quod ſemen motu naturali forma hominis deſtrueretur. Cauſa autem hujus primo accidit ex parte timoris à quo totum corpus immutatur & diſponitur ad ægritudinem, & per ejus adventum fœtus læditur & extinguitur. Secundo ex parte fulminis, quod penetrat uſque ad interiora, & ea deſtruit, & combuſtionem facit: tamen nullum ſignum aduſtionis extra apparet, propter vaporis illius ſubtilitatem. Et eſt etiam vapor ille fortiſſimus, qui etiam quandoque interficit hominem, eo quod penetrat ad membra vitalia interiora, & propter ſubtilitatem non apparet aduſtio, eo quod magis lædit ictu quam calore. Et tunc frequentius ſecundum

diſpo-

diſpoſitum naturalem interiorem, ubi fœtus invenitur diſpoſitus, tunc conſumit totum humidum radicale & complexionale ipſius fœtus, & tunc fœtus extinguitur. Et ſciendum quod illa non ſunt ficta, quia recitat Albert. de operatione & effectu fulminis, quod in actu tonitrui, quandoque videtur comburi calceum pede illæſo, & è converſo. Et quandoque pili juxta loca libidinis membris illæſis, quod ictus fulminis pertingit ad interiora per hunc modum quem dixi. Fides hujus eſt, quia venenoſus ſerpens percuſſus à fulmine, per paucos dies vermiculat & putreſcit; Et eſt ſerpens à quo tollitur venenum per hujuſmodi impreſſionem. Item ſignum fidei eſt dolium pertuſum, cujus vinum ſtetit per aliquod tempus non exeundo. De his autem & de eorum cauſis ſuperfluum eſt ſic determinare.

Hic auctor ponit quædam notabilia. Et primo nota quod tonitru quandoque ex calore fit, ſcilicet quando exhalationes calidæ recipiuntur inter nubes, & ibi per frigus nubium exagitantur, & tunc ſcindunt nubem, & ex tali forti motu fit tunc incenſio illarum exhalationum, & ſic per conſequens fit coruſcatio. Et ideo omnes illi graviter peccant qui dicunt, quod fiat in tertia regione aëris, quia fit intra nubes. Et duo ſunt motus tonitrui, ſcilicet ictus & fulmen, modo ictus ille quandoque ſcindit arbores, & ille ſonus & ictus non ſcindit, ſed fulmen: quia eſt valde ſubtile, quia generatur ex

exhalatione ſubtili & calida, & illud fulmen ſæpe comburit calceum pede illæſo. Quia quandoque fulmen ita cito recedit, quod pedem non tangit, & quandoque comburit pedem, calceo manente illæſo. Ratio, quia calceus eſt ſubſtantia poroſa, ſicut omnis pellis, ideo fulmen tranſit per omnes poros calcei, & invenit pedem reſiſtentem, ideo illum comburit.

Sed de his quæ dicta ſunt in textu quædam dubio moveri poſſent, quorum ſolutiones & determinationes vobis committo. Primum eſt, utrum poſſibile ſit in illo tempore, quando vir eſt in coïtu cum muliere; ſi effectus fulminis per tempus illius motus fuerit, an ſemen receptum hora ejectionis poſſit recipere aliquam novam impreſſionem, per quam diſponatur ad aliquid aliud, quam ſua natura particularis intendit?

Hic auctor movet quædam dubia, quæ non ſolvit, ſed remittit ea nobis ſolvenda, & primum dubium ſolvitur ſic, & dicitur quod fulmen in hora ejectionis ſeminis poſſet impedire ſemen a forma quam agens particulare intendit. Quia poſſibile eſt quod fulmen faciat materiam venenoſam, & ſic facit ipſam ineptam ad generationem hominis, ita quod ex illa materia generantur bufones, & alii vermes, & ſic patet ſelutio primi dubii.

Secundum dubium, utrum in hora ejectionis ſeminis, id quod influitur à planetis poſſit prohiberi ab ipſo fulmine & tetigiſſe materiam ſeminis ex parte patris & matris?

Hic

Hic movet ſecundum dubium, & poteſt ſic ſolvi, quod virtutes planetarum poſſunt impedire fulmen, ideo quia planetæ quidam influunt vitam, & eſſe tale hoc fulmen deſtruit. Tunc ultra dubitatur, quare hoc potius fit in principio ejectionis ſeminis quam tempore ſequenti? Dicendum quod tempore ejectionis tunc ſemen eſt adhuc tenue, & cito poteſt impedire. Secundo dubitatur, quia dictum eſt, quod ſuperiora non poſſunt impediri, quia ſemper agunt naturaliter. Dicitur quod bene poſſunt impediri in illis, quæ ſequuntur opera breviora illorum.

Tertium dubium, utrum per ictum fulminis tangentem materiam ex utraque parte poſſet influi ſemini virtus, per quam procedit ad formam maſculi, ita tamen quod materia prius diſpoſita fuerit ad fœmellæ formam vel diſpoſitionem, & è converſo?

Movet tertium dubium, & ſolvitur ſic, ſi materia eſſet diſpoſita ad formam fœmellæ, tunc per ictum fulminis in maſculum diſponi poſſet, & è converſo. Quia poſſibile eſſet quod per ictum fulminis inferretur aliqua virtus, per quam ſemen Viri eſſet vigoroſius ſemine mulieris, & è converſo. Et idem contingere hoc poſſet, & illæ ſolutiones ſunt probabiles, ut vult auctor dicendo quod illa dubia ſunt multum occulta, ideo in litera non ſolvit ea.

Quia fœtus in ſeptimo menſe, ut frequentius bene habet, ita quod motus naturalis eſt. Si autem permanſerit uſque ad octavum men-

ſem, tunc naturaliter tendit ad ortum; & incipit laborare ad egreſſum, ideo in ſeptimo menſe habet bene, ita quod motus ejus naturalis eſt, ita quod in octavo menſe exit libenter, & ſubito morietur. Quia multum in ſeptimo menſe laboravit, & ſic debilitatus eſt. Si vero nono menſe exeat, eſt ſanus, quia requievit per octavum menſem à laboribus habitis in ſeptimo menſe.

Hic auctor exequitur de exitu fœtus in ſpeciali. Noto quod fœtus in octavo menſe male ſe habet. Hoc probatur extra textum, ratione, quia Saturnus tunc dominatur, & ille eſt contrarius vitæ animalis, quia eſt frigidus & ſiccus. Alia ratio patet ex textu. Tamen ſi fœtus eſſet valde fortis, & haberet amplum foramen per quod exiret, ſic poſſet evadere & ſanus exire, ſed hoc raro contingit. Sed quod in nono menſe ſanus exeat, patet, quia nonus menſis correſpondet Jovi qui eſt calidus & humidus, & eſt principium vitæ.

Ubi ſciendum quod in quibuſdam mulieribus eſt major dolor quam in aliis, quia in quibuſdam accidit quod fœtus quandoque prætendit manum, & quandoque pedem, quæ omnia ſunt nociva. Tunc obſtetrices fœtum diligenter retrudunt, & ex illo generatur magnus dolor, ita quod plures mulieres, niſi fuerint valde fortes, debilitantur uſque ad mortem. Accidit quandoque etiam in partu mulieris, quod rumpitur vulva uſque ad anum, ita quod illa duo foramina unum fiunt. Et

tunc obſtetrices diſcretæ utuntur quodam unguento, ungentes vulvam, & diligenter retrudunt matricem: quia matrix ſæpe læditur & vulneratur in vulva. Et ideo neceſſarium eſt, ut in partu mulierum habeantur diſcretæ mulieres, & in hoc opere expertes. Hoc autem didici à quibuſdam mulieribus, quod quando fœtus prætendit caput in exitu, tunc bene valet negotium, quia tunc alia membra faciliter ſequuntur, & fit partus levis.

Hic auctor ponit unum notabile, & eſt ſatis notum ex textu. Sed notandum, quod quando fœtus præponit pedem vel manum, non poteſt bene exire, quia tunc jacet oblique in uno latere, & maxime ſtimulat, & tunc mulieres retrudunt, & retrudendo fit maximus dolor. Et quando vulva mulieris eſt arcta, & fœtus eſt magnus, tunc poteſt fieri ruptura uſque ad anum, & iſtud maxime contingit in mulieribus pinguibus, quia pinguedo earum facit ſtrictum & arctum meatum.

Sed circa ea quæ dicta ſunt, dubitatio oritur omnibus mirabilior, ſcilicet unde veniat puero jacenti in matrice nutrimentum, cum matrix ſit undique clauſa? juxta quod notandum, quod fœtus eſt clauſus in matrice mulieris, virtute naturali in tali complexione occulta. Primo inter omnia naſcitur quædam vena vel nervus quæ perforat matricem, & à matrice procedit uno tramite uſque ad mammillas: modo quando fœtus eſt in utero mulieris, tunc indurantur mammillæ mulieris, quia tunc ſub-

ſtantia menſtrui fluit ad mammillas propter clauſuram matricis, & ideo ſubſtantia menſtruoſa fortiori decoctione coquitur uſque ad colorem albedinis, & appellatur flos mulierum, ideo uſque ad colorem lactis dealbatur, & illud lac mulieris dicitur. Et ſic illo modo decoctum mittitur per talem venam ad matricem, & ex hoc fœtus nutritur tanquam de proprio & naturali nutrimento. Et hæc eſt vena quæ in exitu fœtus ab obſtetricibus abſcinditur in umbilico, & ideo videtur in puero noviter nato, quod umbilicus ejus ſit ligatus cum aliquo ferro, nec aliquid exeat de corpore ejus per hanc venam quæ abſciſſa eſt à matrice in utero mulieris, quæ vocatur umbilicus & pendet in utero materno cum pellicula ex parte matricis annexa.

Hic auctor movet unum dubium, ut patet in textu. Nota quod ſecundum Ariſtotelem in quinto Metaphyſ. tunc iſta vena & umbilicus debent eſſe adnaſcentia, vel connaſcentia, quia matrix mulieris & umbilicus pueri conjunguntur, mediante illa vena, ita quod cibus tranſit à mammillis mulieris ad umbilicum, mediante illa vena. Nota quod umbilicus directe eſt in medio corporis, in homine bene formato, & mediante ipſo cibus æqualiter inflatur omnibus membris à mammillas mulieris. Et dicitur umbilicus ad umbo, onis, quod eſt media pars clypei, & ycos cuſtos, quaſi cuſtos umbonis medii in corpore.

Item dubium eſt, quare in mulieribus mammillæ

millæ ſunt ſupra; & in aliis animalibus infra? Dicendum quod duplex eſt cauſa. Prima ſi mammillæ mulierum eſſent infra, impedirent tranſitum, ideo natura ſagax ſic ordinavit. Sed vacca, capra & alia animalia habent quatuor pedes, ideo mammillæ non impediunt tranſitum. Secunda cauſa, quia in mulieribus à corde dependet calor, & ille calor extendit ſe uſque ad mammillas, ideo habent eas in pectore juxta cor. Sed in brutis maxime dependet calor ab hepate; & ideo influitur calor ad mammillas, ideo ſunt infra, & ideo ſic etiam melius mulgentur & lactantur à fœtu. Sed dices, quare viri non habent mammillas? Ratio eſt, quia viri non patiuntur menſtrua, & non nutriunt pueros, ideo non eſt neceſſarium. Sed habent ſumme parvas, ſicut mulieres habent teſticulos valde parvos. Sed dices, utrum melius valerent parvæ mammillæ quam magnæ? Dicendum eſt quod mediocres ſunt melius valentes, unde magnæ non ſunt utiles, quia in ipſis eſt calor diffuſus hinc inde, & non habent multum de calore, & ibi mala eſt digeſtio. Etiam parvæ non valent, quia ibi eſt modicum nutrimentum.

Item nota, quod fœtus in utero materno ſecundum nutrimentum diſponitur, & ideo mulieres imprægnatæ prohibentur, ut caveant ſe à fortiſſimo potu, ſicut forte vinum, quia non poſſunt bene digerere illum fortem potum, & potus fortis non competit fœtui, cum adhuc ipſe ſit multum teneri & debilis.

CAP. VI.

De monſtro in natura.

SIcut dixit Aritoteles ſecundo Phyſicorum, quod ſicut peccatum in natura, ſic etiam in arte. Cujus declaratio ad præſens negotium multum valet & ad manifeſtationem intenti, in quantum nunc expedit. Unde ſciendum quod monſtra ſive peccata in natura vocantur illa individua alicujus ſpeciei, quæ in aliqua parte corporis curſum communem illius ſpecici excedunt, ſicut contingit videri in hominibus habentibus niſi unum pedem, vel tantum unam manum, & ſic de aliis. Notandum eſt autem quod iſtud miraculum, quod Philoſophi monſtrum naturæ appellant, accidit multis modis, aut enim ex diminutione materiæ, aut ex ſuperabundantia. Ex diminutione vero contingit pluribus modis. Primo modo diminutio attribuitur materiæ in ſe, & tunc cum membra principalia primo puero debent formari & ordinari, natura ſagax & ingenioſa facit ut completius poteſt & ea quæ ſunt principalia format, & iſtis formatis & diſpoſitis, ad formationem cæterorum membrorum ſtudet, & ibi ex materia quam habet facit quod poteſt, & format partem diminutam quando diminutio eſt in materia & ideo contingit error, & ideo contingit caput aliquando eſſe majus vel minus quam natura requirat illius individui particu-

laris

laris ſic generati, quia ſi diminutio in materia partis præjacentis formationi non obfuiſſet, caput ſic formatum ſub diminutione materiæ eſſet proportionabile naturæ individuæ in ſe & in omnibus aliis membris, & illud etiam de aliis principalibus concludi poteſt, cum iſtis principalibus debetur ordo, ut Philoſophi naturales, & Medici teſtantur. Alio quidem modo diminutio materiæ attribuitur parti alicui generandæ ſpecialiter.

Hic auctor exequitur intentum ſuum de modo generandi monſtra in natura, & adducit ſimilitudinem, & vult quod natura aſſimilatur arti, quia ſicut aliquis artifex primo format & ædificat bonum fundamentum, poſtea ſtudet ædificare ſuper illud fundamentum. Sic ſimiliter natura prius membra principalia & magis neceſſaria format, ſcilicet cor, hepar, cerebrum & teſticulos, & poſtea minus principalia, ſcilicet manus, pedes & brachia, & ſic ſi defectus eſt in materia, tunc melius eſſe magis principalia quam minus principalia. Nota, quod duplex eſt natura, quædam intendens, alia producens. Modo natura intendens non errat, quia quod melius eſt ſemper intendit. Sed producens quandoque errat, quia quod melius eſt non ſemper intendit, ſed hoc ex parte materiæ abundantis vel deficientis, ita quod monſtra fiant ſecundum defectum materiæ. Et hoc dupliciter, aut ſecundum quantitatem diſcretam: ſic quandoque unus generatur cum uno pede, vel cum quatuor digitis in una manu.

Aut ſecundum quantitatem continuam, ſic generatur aliquis cum nimis magno capite vel cum nimis magna manu. Si vero per abundantiam fuerit hoc etiam dupliciter, aut ſecundum quantitatem diſcretam, ſic quandoque generantur homines habentes duo capita: vel ſex digitos in una manu, & ſic de aliis: aut ſecundum quantitatem continuam, ſic generatur aliquis cum maximo capite, præter curſum communem illius ſpeciei. Nota quod monſtrum dicitur eo quod monſtrat ſe videntibus, quia omnes diligimus videre monſtra, propter admirari. Unde monſtra ſunt ſic intenta à natura per accidens & non per ſe. Unde ſi natura non poſſet producere quinque digitos in manu, producit quatuor vel tres, ſecundum exigentiam materiæ illius. Sed dices, quare tunc fiunt monſtra? Ad hoc dicunt Philoſophi, quod fiunt ad exornationem univerſi. Nam dicunt, ſicut diverſi colores in pariete exiſtentes decorant ipſum parietem, ſic etiam diverſa monſtra ipſum univerſum exornant mundum. Item monſtra etiam maxime fiunt per influentias cæleſtes, quia quandoque regnat ſpecialis conſtellatio, & ab illa diverſæ figuræ influuntur. Unde expertum eſt, quod generati ſunt duo gemelli tam vicini vel ramifici in dorſo, habentes diſtincta capita vel membra, & diſtinctas manus, & non pedes, &c.

Juxta quod notandum, quia ſecundum intentionem Philoſophi, omne mixtum conſurgit ex quatuor elementis: & ideo quod eſt naturæ

turæ igneæ, cadit in ſuum ſimile, & quod eſt de natura terræ cadit in ſuum ſimile, & ſic de aliis. Ex iſto aliquis crederet & opinaretur me velle dicere quod elementa formaliter eſſent in mixtis, hoc eſt enim contra intentionem Philoſophi 1. de Generatione, ubi vult quod ſolum virtualiter ſint mixtis: modo ex iſtis poſſibile eſt aliquando ſemen habere proportionem diminutam ex parte alicujus impedimenti ſpecialis, & ſi ex parte terræ fuerit, contingit diminutionem fieri in oſſibus, eo quod ex terra radicaliter formantur & ſic de aliis. Contingit etiam aliquando diminutionem corporis individui generari cum uno pede, aliquando ſine brachiis, aliquando unius digiti, & ſic de ſimilibus. Si vero ex altera parte miſcibiliter eſt, tunc poſſibile eſt in ſimili parte generari, monſtruoſitatem apparere, ut frequentius contingit in his, qui habent octo digitos in manibus, vel in pedibus, vel duo capita, vel aliquod aliud.

Hic auctor declarat dictum ſuum ſecundum intentum Philoſophi 1. de generatione. Nota quod auctor eſt iſtius opinionis, quod elementa maneant in mixtis virtualiter, ita quod ex elementis corruptis generatur forma mixti, in qua reſervantur qualitates elementorum, ſicut videmus in mellicrato, quod eſt mel virtualiter, ſed non formaliter. Illud probatur, elementa ſunt contraria, illa autem quæ ſunt contraria, in eodem fundari non poſſunt, ut eſt mens Ariſtot. in 4. Phyſic. & auctoris ſex principiorum

ſcili-

ſcilicet Gilberti Porretani, & Ariſt. in poſt prædicem & Petri Hiſpani, & Boetii in libro de viſionibus. Item elementa ſunt corpora diſtincta non compatientia ſe in qualibet parte mixti, ideo virtutes earum manent.

Eſt igitur notandum, quod monſtruoſitas non ſolum ex parte diminutionis materiæ accipitur, vel contingit, ſicut jam dictum eſt: ſed etiam aliquando ex malitia matricis, quæ ſi fuerit lubrica & vitioſa, vel malitioſa, totum ſemen non retinebit, ſed diſpergit aliquando antequam totum ſemen in maſſam colligitur, tunc vi occupatur, matrix clauditur, & ſic modicum ſeminis recipitur à quo debet formari fœtus, & illud habet ſpeciales modos ſub ſe, qui plures ſunt. Sed de his narrare longum eſſet & ideo hæc omittantur, & quando iſti modi contingunt, tunc & diminutio effective à matrice procedit. Quidam vero procedunt ex parte coïtus cum fœmella, ſic quod ad monſtroſitatem multum operatur inordinatus coïtus, ex eo quod aliquando maſculus eſt in coïtu cum fœmella, ſi tunc maſculus tempore coïtus inordinate jacet cum fœmella, monſtrum facit in natura. Narratur enim de quodam, qui lateraliter jacuit ſuper fœmellam tempore coitus, & fœmella generavit puerum in uno latere curvum, & in pede claudum, & cauſa hujus ex inordinatione coïtus proceſſit.

Hic auctor oſtendit alium modum monſtrorum ſive monſtruoſitatis. Unde matrix quaquam

quam eſt cauſa monſtruoſitatis, ut ſi fuerit lubrica. Unde lubricum dicitur illud, quod vix poteſt retineri, ſicut anguilla vel aliud tale. Item coitus inordinatus, & vehemens maxime eſt cavendus propter fœtum debite producendum ne ſemen perverſe recipiatur in matrice. Et nota pro tanto, coitus ſtando eſt irregularis in natura, quamvis rudes non curant, quia ſemen ita debite recipi non poteſt ſicut debet. Ex illo patet quod multa ſint peccata, quæ non ſolum peccant in lege, ſed etiam in natura, quia natura debite & regulariter intendit producere.

Peccatum vero naturæ aliquando contingit ex ſuperabundantia materiæ, quæ diminutioni opponitur, & illud habet in ſe multas cauſas ſive modos ſpeciales. Quando enim ſuperabundantia materiæ eſt in omni parte ejus, vel ſecundum exigentiam naturæ & ſecundum ejus formam, & ſic multæ tortuoſitates & tumores apparent in membris, hujus eſt ratio, quia ſi natura abundat in parte ſeminis deputati ad corpus vel ad caput, tunc neutra facit illud quod naturaliter poteſt, ſcilicet aliquando duo capita, aliquando duos pedes, quorum unus multum major eſt alio: & ſecundum communem curſum, & aliquando facit gibboſum in pectore, aliquando in dorſo.

Hic auctor oſtendit, quomodo ex ſuperabundantia materiæ fiunt monſtra. Ubi valet pro ſententia, ſi ſemen nimium in abundantia ſit infuſum, & quia matrix eſt clauſa, & quia tunc ejus tota materia tranſmutatur in mate-

riam fœtus, & ſi tunc pars ex qua debet fieri caput fœtus eſt nimis abundans, tunc fiunt duo capita vel tria, & ſic de aliis partibus & aliis membris deputatis.

Sed in omnibus iſtis mirabilior eſt iſte caſus & effectus quem Albertus recitat, de uno cui nata fuerunt duo membra libidinis, unum ex parte viri, aliud ex parte mulieris, ita quod potuit ſuccumbere, id eſt, ſubjacere, & incumbere, id eſt, active coïre. Et cauſa hujus originaliter trahitur ex ſuperabundantia materiæ, quia materia fuit principium ſufficiens generandi utrumque membrum. Ex ſuperflua autem parte ſeminis ex qua talia membra ſolent generari, recitant Avicenna & Albertus, ut patebit in textu inferius.

Hic ponit mirabilem eventum de Hermaphroditis; & dicit Albertus de Hermaphrodito, qui utrumque membrum habuit, & potuit agere & pati, non quodammodo in ſe ipſum ſed reſpectu alterius: & hoc provenit ex eo, quod materia fuit tanta, quod virile membrum fieri potuit. Et membrum virile eſt ſemper ſuperius, & fœmineum inferius. Sed dices, quare natura non producit duo membra virilia, & duo fœminea? Ratio eſt quia natura de contingentibus facit quod melius eſt ſic ordinari, quia alterum ſemper ſuperflueret ſi faceret duo virilia, quia quicquid unum faceret, hoc etiam alterum. Præterea ſæpe accidit, quod generatur gallina, quæ habet membrum indiſpoſitum ad coitum, ita parvum ſi-

cut

eut gallus, & illud provenit ex defectu materiæ. Idem ſi contingat quod generatur fœmella ſine apparentia membri muliebris, tunc pellicula eſt ſupraposita, quam oportet removeri. Nota quod ſi Hermaphrodita magis apparet in ſpecie viri, ſic tenebit in tali ſpecie. Si autem in ſpecie fœmellæ, tunc iterum ſe ſic tenebit. Et non licet ſibi ambo opera exercere ſecundum præcepta legis.

Et nota ſecundum Avicennam, ſi ſemen cadit in latere ſiniſtro matricis, generatur fœmella, ſi in dextro, generatur maſculus: ſed in medio Hermaphrodita, participans naturam utriuſque ſcilicet maſculi & fœmellæ. Et à viro tanquam digniori recipit ſpeciem ſecundum naturam, licet hæ naturæ fiant in ipſo. Recitat enim Albertus quod ſicut quædam talia monſtroſa corpora contingunt, ſic etiam ſpiritualia. Dicit enim de duobus gemellis, quorum unus habuit in dextro latere virtutem, ut ubicunque portabatur à parte illius lateris, aperiebantur omnes feræ & clauſæ. Et alius habuit virtutem in ſiniſtro, quod ubicunque portabatur erant clauſæ quæ prius fuerant apertæ. Et loquor de apertione & clauſura ferarum in oſtiis domorum. Et cauſa hujus non provenit ex materia, ſed ex ſpeciali conſtellatione cœli, non ſolum ex conſtellatione ſpeciali, ſed etiam ex ſpeciali materiæ diſpoſitione ad talem effectum, quia *actus activorum ſunt in materia bene prædiſpoſita, vel* in patientiæ diſpoſito, ut dicitur ſecundo de anima.

Hic

Hic auctor ponit unum notabile, ut ſatis patet in textu. Nota, in latere dextro eſt major calor quam in ſiniſtro. Cor enim jacet in ſiniſtro, & influit calorem in dextrum. Et ideo in dextra generantur maſculi, gratia caloris, & ideo dextra pars corporis eſt fortior & vigoroſior quam ſiniſtra. Unde à dextra fit motus, ſecundo de cœlo. Unde dexter pes eſt modice major ſiniſtro. Similiter de manu dextra, & ſic de aliis. Alio modo patet, quomodo fiat generatio duorum ramificatorum in dorſo. Quia quandoque contingit quod ſemen recipitur in duabus cellulis matricis, & tunc poteſt contingere quod pellicula dividens cellulas, corrumpatur, & tunc conjungunt illa duo ſemina ſe invicem dorſo, & habent diſtincta capita, & diſtinctas animas, & debent baptizari pro duobus hominibus. Nota, quod virtus cœleſtis mirabiliter operatur, & occulte in inferioribus. Unde poſſibile eſt de duobus gemellis, quod virtus cœleſtis reſpicit gemellum in latere dextro, ſecundum talem virtutem, ſecundum quam influit ſibi virtus aperiendi ſeras ſine contactu, quia iſta pars dextri lateris forte alterat aërem, & ille alterat ſeram, uſque ad apertionem. Et qui ſic ſe habent, ſæpe ſunt fures, quia ſeras poſſunt aperire. Nota, diverſitatis eſt hæc cauſa, quia ſecundum quod virtus cœleſtis invenit materiam diſpoſitam, ſic operatur illam.

Et nullus credat, quod quædam dicta ſunt ficta, quia id ſimile contingit videri in lapidibus

dibus quibuſdam, in quos ſpecialis conſtellatio agens inprimit ſpeciem & formam hominis vel alterius ſpeciei, ſecundum exigentiam agentis, ſicut viſum eſt ſæpe quando lapides dividuntur, quod fit ex conſtellatione ſpeciali. Et non eſt mirum in gemellis, cum etiam in quibuſdam aliis accidit, ubi eſt poſſibile invenire: & omnes modi ſpeciales in monſtris poſſunt reduci ad duos modos principales, ſcilicet propter inobedientiam vel inſufficientiam materiæ, ſecundum Avicennam in ſecundo Metaphyſicorum, & Ariſtotelem tertio Meteorum, & per inobedientiam intelligo indiſpoſitionem, quando materia non eſt bene diſpoſita, ideo non obedit agenti, & per ſufficientiam intelligo diminutionem vel impedimentum ex parte matricis.

Hic auctor reſpondit tacite quæſtioni dicens. Diceret ergo aliquis, hæc ſunt ficta quæ ponuntur hic, & ideo non credantur.

Nota quod hæc poſſunt fieri, mediante enim virtute cœleſti in lapidibus multiplex eſt virtus, unde Albertus recitat, quod in Colonia in quadam feneſtra vidit quendam lapidem habentem ſpeciem regis, & tunc debet naſci magnus rex, unde in multis lapidibus vultus humanus figuratur, & per illos lapides fiunt diverſæ medicinæ. Unde ſi quis Sole exeunte in piſcibus inſculperet ſpeciem piſcis in lapide, ille poſſet convocare omnes piſcis in aqua, hoc eſt, tempore determinatio. Unde Hali in Centiloquio Pto-

Ptolomæi recitat diverſa ſigna & miracula, de inſcriptione, ſeu ſculptione lapidum.

Et ſi quis diceret & argueret ſic, Si monſtra poſſent fieri, ſequeretur quod natura poſſet privari fine, quia ſemper intendit agere regulariter. Dico ſecundum Avicennam, quod non ſemper poſſibile eſt ex parte particularis naturæ, omne materiam ad ſuum finem amoveri, nec eſt concedendum, quod privationes ſuarnm actionum habeant fines, & ideo de ægritudine & morte non eſt inſtantia, quia hæc non ſunt intenta à natura particulari, ſed ab eo qui hanc regit, & illa appellata eſt *intelligentia*, ſecundum manifeſtationem Philoſophorum, qui digne locuti ſunt de natura. Et tantum de his dictum eſt.

Hic auctor ponit objectionem ſeu inſtantiam, & ſolvit in textu. Pro quo nota, quod regulariter intendens producere, poteſt impediri per naturam particularem, & ideo patet quod monſtra non ſunt intenta à natura, niſi vel per accidens. Item nota, natura particularis non intendit fines privationum, quia videt melius eſſe quam non eſſe, ſed Deus & natura cœleſtis ſciunt omnia optime diſponere, & vocatur intelligentia non errans. *Unde ex primo de cœlo, omnis mors, corruptio, ægritudo, infirmitas ſunt præter naturam.*

CAP.

CAP. VII.

De ſignis conceptionis.

FInito ſermone noſtro, in quantum ſufficit de generatione & formatione fœtus, & penes quem modum & pluribus aliis materiæ incidentibus. Ut tamen præſens doctrina magis complete habeatur, notanda ſunt ſigna conceptionis in muliere quæ ſunt plura, Primum eſt ex parte coïtus. Si enim mulier quando fuerit in coïtu cum viro, poſt coïtum ſentit frigus, & dolorem in cruribus, ſignum eſt quod concepit. Secundum ſignum, ſi mulier paucum ſemen emittit vel nullum, ſignum eſt quod concepit.

Hic auctor determinat de ſignis conceptionis. Ratio primi ſigni eſt, quia quando mulier concipit, tunc calor naturalis concurrit ab ipſa pro formatione fœtus, ideo relinquitur frigus in membris. Et hoc videmus in ſimili, quia quando homo comedit, poſt hoc patitur frigus, quia calor naturalis tranſit ad ſtomachum alterando cibum: ideo non eſt ſtudendum poſt prandium, ſed prius modicum labora, ut calefias, & ſic digeſtatione confortata ſtudeas, quia tempore ſtudii ſpiritus vitales concurrunt ad cerebrum, ipſum juvando. Illud enim patet in febricitantibus, qui habent in ſtomacho humores groſſos, quos calor naturalis intendit digerere, & vadit ad ſtomachum, ideo patiuntur frigus febricitantes, & calore recedente à ſtomacho, patiuntur

tur magnum calorem. Et iſtius ſecundi ſigni auctor aſſignat rationem, quia matrix clauditur, & non permittit ſemen tranſire, & recedere. Nota, quod juvenes mulieres, quæ maxime delectantur in ipſo coitu, poſſunt ſemen emittere & concipere, ſed hoc non eſt de ſenioribus. Item tempore coitus conceptionis natura retinet ſemen ab intra, ut non egrediatur, & hoc propter fœtum.

Aliud ſignum, ſi vir in coïtu ſentiat virgam ſuam attrahi & ſugi quadam clauſura ex parte vulvæ mulieris.

Ratio iſtius ſigni eſt, quia quando mulier concipit, tunc vulva ſugit quaſi virgam virilem, & propter delectationem matrix comprimitur & quaſi claudit virgam virilem.

Aliud ſignum, ſi mulier poſt coïtum appetit continue coïtum, hoc eſt verum in quibuſdam, quia quædam mulieres ſunt, quæ magis concupiſcunt, quando non concipiunt, ut viſum eſt in una quæſtione.

Circa quintum nota, quod poſt imprægnationem menſtrua inſtigant ad coïtum, & maxime delectationis memoria, quam prius habuerunt in coïtu.

Aliud ſignum, ſi menſtrua non currunt poſt coïtum, ſecundum modum ſolitum, & fit titillatio in ore matricis, ſignum eſt quod mulier concepit.

Ratio iſtius ſigni eſt, quia quando mulier concepit, tunc menſtrua convertuntur in nutrimentum fœtus, ſcilicet in lac, & fit titillatio in

ore matricis propter calorem, & tunc dolor in cruribus, quia ſpiritus ſunt clauſi in matrice, qui tranſeunt ad crura, & vegetant crura.

Item aliud ſignum, ſi color faciei ultra modum ſolitum eſt mutatus. Unde libenter ſolent eſſe rubeæ poſt conceptionem gratia caloris. Item ſi aliena cibaria concupiſcunt, nunc terram, nunc carbones, nunc poma, nunc mora ſeu ceraſa, ſignum eſt conceptionis.

Cauſa hujus ſigni eſt, quia poſt conceptionem multi humores groſſi indigeſti aſcendunt cerebrum, & illi movent appetitum aliquorum ſimilium, quia ſi ſint calidi humores, tunc appetunt carbones, ſi ſint valde frigidi & humidi illi humores, tunc appetunt pira aut poma non matura, aut ſimilia, quia omne ſimile, plaudit ſuo ſimili, &c.

CAP. VIII.

De ſignis, an vir, vel fœmina ſit in utero.

VIdenda ſunt nunc ſigna, utrum maſculus vel fœmella ſit in utero. Et hæc ſunt ſigna vera quæ ſequuntur. Tempore conceptionis maſculi color faciei eſt rubeus & levis motus.

Hic auctor ponit ſex ſigna in numero, utrum in utero maſculus ſit conceptus vel fœmella. Ratio illius primi ſigni eſt, quia color rubeus eſt ſignum magni caloris, & ſi calor magnus in matrice, tunc virtus eſt ſufficiens ad maſculum, & tunc mulier leviter movetur, quia calor eſt principium motus.

Aliud ſignum, ſi venter tumeſcit in dex-

tera parte, & rotundatur, ſignum eſt maſculi.

Ratio illius ſecundi ſigni eſt, quia in dextera parte jacet maſculus, tanquam in parte fortiori & calidiori, & tunc venter rotundatur, quia extenditur & ampliatur.

Aliud, ſi lac fluens de mammillis ſpiſſum & bene digeſtum, ita quod ſi ponatur ſuper aliquod corpus bene terſum, non dividatur, ſed partes conſtabunt, & non fluent: ſignum eſt maſculi.

Cauſa hujus ſigni eſt, quia illud lac calor induravit & compreſſit inſpiſſando. Unde calor habet multa opera, facit enim rem duriorem & ſubtiliorem, & corrumpit humidum, & inducit ſiccum.

Aliud, ſi tale lac mulieris imprægnatæ, vel gutta ſanguinis ipſius à dextro latere extracta ponatur ad fontem clarum, vel ad urinam ejus, ſi petit fundum directe, hoc eſt, perpendiculariter, ſignum eſt maſculi: Si vero ſupernataverit, ſignum fœmellæ erit. Similiter ſi dextram mammillam habet groſſiorem, ſignum eſt maſculi: Si vero ſiniſtram, ſignum eſt fœmellæ.

Cauſa hujus quarti eſt, ſi petit fundum directè, hoc eſt ſignum quod bene eſt induratum & inſpiſſatum à calore naturali. Unde perpendicula eſt linea latomorum recta cum aqua perpendunt, & conſiderant longitudinem rei, & conſtituunt duos angulos rectos ſuper baſim, ſuper quam cadunt.

Item

Item ſal poſitum ſuper caput mammillarum, non liqueſcens, ſignum eſt maſculi.

Cauſa hujus quarti ſigni eſt, quia ſi mammillæ ſunt calidæ, tunc ille calor facit conſtare ſal. Unde ſal gratia caloris conſtat in partibus. Unde ſal generatur ex aqua groſſa & multum bullita, ita quod ſpecialis aqua eſt ad ſal. Unde calor ignis extrahit de aqua ſubtiliores partes, & illas partes facit exhalare, & tunc ibi remanent partes terreſtres humidiores & groſſiores, & ille per calorem conſtat. Et hujus ſignum eſt, quod tempore pluviali ſal liqueſcit in ſcutella. Unde 4. Metaph. dicitur. Si ſal debet reſolvi in materiam & formam primam, reſolvitur in aquam, & ſic diſſolvitur. Ideo ſi ſal ponatur ad ignem, incipit corrumpi, & ſalire, quia contrarium invenit.

Signum aliud, ſi mulier prius movet pedem dextrum, ſignum eſt maſculi. Et contrario modo ſe habet, ſi fœmella eſt concepta, tunc mulier eſt gravis & pallida, & venter eſt oblongus, & in ſiniſtra rotundus, mammilla in ſiniſtra parte nigreſcit; & lac ejus nigrum erit, indigeſtum, lividum, & aqueum, & fuſum, ſupra corpus poſitum dividitur pars ejus apertè, & poſitum ſupra fontem, vel urinam, natat, & ſic de aliis. Item ſi dolor eſt in ſiniſtra parte, ſemper eſt fœmella, ſi verò in dextra, maſculus eſt. Item aliud experimentum quod ſcio eſſe verum & expertum, ſi aliquis ſcire velit utrum mulier ſit prægnata vel non, det ei bibere mellicratum, ſi tunc ſenſerit

punctiones circa umbilicum, concepit, ſi autem non ſenſerit, minime concepit. Mellicratum autem vocatur potio, quæ fit ex aquâ & melle, & fit per hunc modum, quia accipi debent duo cochlearia de aqua, & unum de melle tali proportione, & miſceantur inſimul, & detur mulieri ad potandum in introitu lecti, vel ſtatim poſt. Et forte mulieres aſtutæ dicerent oppoſitum, & ergo quando aliquis vult experiri, non debet dicere de imprægnatione. Et ſi ipſa conquereretur dolorem capitis, vel alterius partis, ut ſæpe ſolent facere, tunc homo ſemper debet dicere, illud valet contra talem vel talem dolorem, & ſibi illum potum dare, & tunc de mane debet dicere, num doluiſti in aliqua parte? & ſi circa umbilicum dicunt eſſe, judicium conceptionis in iſto judicatur: ſi vero non, tunc non concepit. Sed quædam mulieres ſunt aſtutæ, & conſiderantes illud ſophiſma, nolunt dicere veritatem, ſed ſemper alio modo quam ſe habent in veritate.

Hic auctor ponit bonum ſignum ſimplicis conceptionis, & experientiam veram, quæ patet in textu. Unde nota, quod ratio iſtius experimenti eſt, quia mel obſtruit nervos & venas, & ex iſto generatur dolor circa umbilicum.

Item illud dulce non eſt ſanum, quia omnis pinguedo dulcis eſt mala, & piſcium eſt peſſima propter viſcoſitates. Unde dulce ſupernatat in ſtomacho: ſed quia tunc calor ſtomachi

pro-

propter fœtum eſt debilis, ideo ſumpto melli-crate mulier dolet circa umbilicum.

C A P. I X.

De ſignis corruptionis virginitatis.

POſt hoc notanda ſunt ſigna corruptionis caſtitatis. Juxta quod notandum, quod aliquando virgines graviter corrumpuntur, ita quod earum vulva multum ampliatur, quia membrum virile eſt nimis magnum & ineptum, ſic quod mulier tam amplam acquirit vulvam, ita quod vir ſine dolore ſui membri coït, & tunc prius eſt corrupta, & hæc cauſa eſt, quare juvenes mulieres cum primò corrumpuntur, dolent pro tempore in vulva, quia ampliata eſt ad coïtum diſpoſita. Alia autem cauſa coadjuvans: quia eſt quædam pellicula in vulva & veſica quæ corrumpitur. Et quanto plus coëunt, tanto plus in tali ludo fortificantur.

Hic auctor proſequitur de ſignis corruptæ caſtitatis, & ſatis patet in textu. Sed extra textum aliud eſt ſignum, quod vulva virginis ſemper eſt clauſa, ſed mulieris ſemper aperta ſtat, ideo virgo altius mingit quam mulier. Nota ſi vis experiri, utrum virgo ſit corrupta, pulveriſa fortiter flores lilii crocei, qui ſunt inter flores, & da ei comedere de illo pulvere: ſi eſt corrupta, ſtatim mingit. Item fac eam mingere ſuper quandam herbam quæ vulgo dicitur malva (papel) de mane, ſi ſit ſicca, tunc eſt corru-

pta. Vel accipe fructum lactucæ & pone ante nares ejus, ſi tunc eſt corrupta, ſtatim mingit.

CAP. X.

De ſignis caſtitatis.

SIgna caſtitatis ſunt hæc, pudor, verecundia, timor, cum caſto inceſſu & loquela, cum reſpectu applicans ſe viris & virorum affectibus, ſed quædam ita aſtutæ inveniuntur, quod omnibus iſtis obviare ſciunt, & tunc homo convertat ſe ad urinam, quia urina virginum eſt clara & lucida, quandoque alba, quandoque glauca. Si vero fuerit aurei coloris, clara & ponderoſa, continet animi jucundi ſignum, id eſt, appetitum, & hoc eſt verum in non corruptis. Corruptæ enim mulieres habent urinam turbidam, per fracturam pelliculæ præcedentem, & ſperma viri apparet in fundo urinæ talis mulieris: ſed in menſtruoſis urina eſt ſanguinea, & in tali menſe quando patitur, habet oculos aqueos & eſt alterius coloris in facie, abominationem patitur in cibo. Et ideo ſibi quiſquis caveat, ne coëat tunc cum eis, quia nocivum eſt. Unde prudentes mulieres ſciunt tunc cuſtodire ſe, & ſeparantur à viris per tempus fluxus menſtruorum.

Hic auctor exequitur de ſignis caſtitatis. Nota, quod urina virginum eſt clara, quia ipſæ ſunt calidæ, & bene digerunt, & ideo urina pertranſiens per loca digeſtionis ſumit ibi colorem,

rem, unde coloratur in renibus. Sed debet capi urina poſt ſomnum primum, quia tunc facta eſt digeſtio & debet videre quod urina per accidens non ſit variata, ſcilicet morbo & nutrimento groſſo. Nota quod in urina ſunt tres regiones, ſcilicet ſuperior, ubi conſiderantur membra ſuperiora, ſcilicet cerebrum, & caput. Secundo in medio, ubi conſiderantur membra media, ſcilicet renes & cor. Sed tertia eſt inferior: ubi conſiderantur teſticuli, lumbi, & matrix. Idem dicit litera, ſperma ſemper apparet in fundo, propter ſuam gravitatem. Nota, quod quando mulier eſt menſtruoſa, tunc humores aſcendunt ad oculos, quia oculus eſt pars poroſa corporis, & cito paſſibilis, & tunc mulier pallet in facie, & ipſa patitur abominationem cibi, quia non cupit propter infectionem cerebri & olfactionem. Et tunc eſt nocivum cum eis coire, quia pueri qui tunc concipiuntur, inclinantur ad morbum caducum, & ad lepram, quia talis materia eſt valde venenoſa.

Eſt autem notandum, quod mulieres antiquæ, in quibus menſtrua fluunt, & quædam in quibus menſtrua ſun tretenta, ſi inſpiciunt pueros in cunis jacentes, intoxicant oculos eorum viſu, ut ait Albertus in libro de Menſtruo. Cauſa hujus in mulieribus apparet, quibus menſtrua fluunt, quia ipſe fluxus ſeu humores qui moventur per totum corpus, primo inficiunt oculos, & oculis infectis aër inficitur; & tunc aër ille inficit puerum. Et illud eſt de intentione Philoſophi in libro de ſomno & vigi-

lia. Cauſa autem quare antiquæ mulieres, quibus non fluunt menſtrua, inficiunt pueros, eſt quod retentio menſtruorum facit abundantiam malorum humorum, & quia antiquæ mulieres ſunt deficientes in calore naturali, maturante & digerente talem materiam, & præcipue pauperes, ſic quod nutriuntur à cibo & nutrimento groſſo, quod operatur ad talem materiam infectum. Et illæ mulieres plus inficiuntur, quia menſtruum hoc cedit ad purgationem naturæ ipſarum.

Hic auctor ponit quoddam notabile, & patet manifeſte in textu. Nota quod humores mali exeunt per oculos potius quam per aliud membrum, quia oculus eſt aqueus, ex ſecundo de Anima, quod patet, ſi comprimitur, lachrymatur, & ideo mulieres multum lachrymantur, quia habent multum de humido, quod petit exitum. Et quando oculus eſt infectus, tunc inficit aërem tangentem oculum, & ille ultra inficit aërem propinquum, ille aër iterum alium aërem, donec pervenit ad objectum, & ibi fit reverberatio mali humoris, & ibi primo operatur, quia omnis actus fit cum reſiſtentia aliqua, quia illa infectio fit circulariter, quia ſi non, tunc ſolum mulier inficeretur ſecundum unam differentiam loci, paſſionis, & non ſecundum omnem. Nam pueri ſunt debiles & teneræ naturæ, ideo facile intoxicantur. Toxicum eſt venenum quod fit de taxo, de tali arbore amariſſima; ex cujus ſucco guſtato, aves moriuntur.

Nota quod oculus mulieris vaticinantis pro-

jecit

fecit cameleum in foveam, ita quod illa peſſima mulier tantum cogitavit de malis, quod quidam humores mali generabantur in ſpiritibus ejus, & illi exiverunt per oculum, & illos volens camelus effugere, cecidit in foveam. Et illo modo baſiliſcus inficit videntem ipſum, quia venenum emittit. Et ſi poneretur ſpeculum ad quod reverberarentur humores ad locum baſiliſci, tunc ipſemet moreretur vel inficeretur. Nota quod ſi aliquis quæreret, ſi mulieres ſunt venenoſæ, quare non intoxicant ſeipſas? Dicendum, quod venenum non agit in ſe, ſed in aliud cui objicitur. Cum ergo mulieres naturaliter ſunt intoxicatæ, ergo non intoxicant ſeipſas. Alia cauſa eſt quia ſunt conſuetæ. Unde Averroës in prologo tertii Phyſicorum: Quædam erant conſuetæ comedere venenum, ita quod erat earum cibus.

CAP. XI.

De defectu Matricis.

AT quia dictum eſt de menſtruo, igitur ad menſtruorum locum procedamus, quod accidentia ſunt circa ipſam matricem. Matrix enim mulieris ſæpe patitur ſuffocationem; Suffocatio enim apud medicos vocatur compreſſio ſpirituum vitalium, ex vitio matricis egreſſa. Et per hoc impeditur anhelitus in muliere. Et illud evenit, quando matrix de proprio loco tollitur, tunc ex frigiditate cordis ſuperveniente, tales mulieres quandoque patiuntur ſyncopen, id eſt cordis debilitatem. Aliquando

do vero aliquæ vertiginem in capite patiuntur. Galenus enim magnus in medicina narrat de quadam muliere, ſuffocationem matricis patiente, quod illa cauſa patiebatur tantum quod non potuit loqui, & cecidit ac ſi mortua eſſet, quia nullum ſignum vitæ habuit, & vocati ſunt medici plures, qui videntes ipſam & cauſam ignorantes, dixerunt eam veraciter eſſe mortuam. Galenus autem ſuperveniens, cauſam conſideravit, & mulierem à paſſione illa liberavit. Hæc enim ægritudo contingit in mulieribus ex eo quod abundat in eis menſtruum corruptum & venenoſum. Et ideo bonum eſt quod tales mulieres, quæcunque fuerint, ſive juvenes, ſive antiquæ, ſæpe viris utantur, ut materia talis expellatur. Et expedit juvenibus quia in eis abundat humidum. Et hæc eſt cauſa quare juvenes mulieres, quando incipiunt coïre, multum impinguantur antequam concipiant, & curam de pueris minime habent, quia cura (ut dicit Philoſophus in ſecretis ſecretorum) facit ſeneſcere, quod non videtur in illis. Illæ enim juvenes mulieres quando multum abundant in tali materia, multum appetunt coïtum propter materiæ abundantiam. Ideo peccatum eſt in natura illas retrahere, & coïtum prohibere ad illum quem diligunt, quamvis ſit peccatum in moribus, de quo nihil ad propoſitum. Audivi in confeſſione ſocietatis ab una inquirente cauſam à me, quare hoc eſſet, quando ipſe dormiret cum ſua dilecta juvencula, quod tunc

ipſe

ipſe coïtu finito, inveniret ventrem ſuum uſque ad umbilicum ſanguine profuſum, & timuit multum & cauſam ignoravit, & non fuit auſus ſe retrahere à juvencula, propter amorem magnum inter eos. Et ideo quandoque nocet, ſecundum quod materia magis vel minus abundat. Et ille fluxus non fuit menſtruorum, ſed feminis in coïtu propter abundantiam materiæ.

Hic auctor exequitur de experimentis conceptionis. Nota quod ſuffocatio matricis provenit ex eo, quod matrix tollitur adverſus cor, & tunc magna frigiditas ſe extendit ad cor, ſic quod cor patitur ſyncopen. Et dicitur à ſyn, *quod eſt* con, *&* copos incisio, *quaſi cum inciſione ſive debilitate cordis, & alio nomine dicitur ectaſis, & illa paſſio maxime accidit viduis, quæ prius habuerunt viros, & jam non habent, unde menſtrua earum corrumpuntur in matrice, & generantur groſſi humores qui in corde debilitates generant, & ideo ipſis multum valet coitus.*

CAP. XII.

De impedimentis conceptionis.

DE impedimentis autem conceptionis nunc aliqua tangamus, quæ plura ſunt, quia impedimentum quandoque contingit ex nimia humiditate matricis, quandoque ex nimia frigiditate, quandoque & ſiccitate, quandoque propter nimiam pinguedinem corporis, quia pinguedo circumvoluta orificio matricis ipſam

conſtringit, & non permittit ſemen viri intrare. Unde cognitio hujus eſt de muliere, cujus renes ſunt ſepulti & occulti in pinguedine ex omni parte. Illæ enim mulieres, ſi in coitu ſemen recipiunt, non poteſt intrare matricem, & ſic ejiciunt ipſum cum ejectione urinæ. Et ideo breviter, ſi poſt coïtum urina talis mulieris videatur, manifeſtum erit ſi ſemen viri in matrice ejus eſt collectum vel non. Si ſic, tunc urina ejus eſt immunda propter commixtionem viri. Si vero tunc iterum apparebit, & quandoque apparebit, quod urina non totaliter ejecit illud ſemen, quia ſunt calidæ, tunc ſua caliditate exhalant. Sunt etiam quædam mulieres, quæ ita teneras & lubricas habent matrices, quod ſemen intus non poteſt retineri. Ex multis aliis cauſis illud evenit, de quibus ad præſens nulla fit mentio.

Hic auctor ponit quædam notabilia, ut patet in textu. Nota quod ſi ſemen viri & mulieris non ſunt proportionata qualitatibus, id eſt, in calido & humido, tunc talis conceptio impeditur principaliter, quia agens, & patiens debent eſſe proportionata, ex ſecundo de anima, ſub certa harmonia, id eſt, ſub certa & determinata combinatione, unde quodlibet non agit in quodlibet, vel quodlibet non fit ex quolibet, id eſt, de generatione.

Eſt etiam notandum, quod ſæpe conceptio ex parte viri impeditur, ita quod ſemen ejus quod emittit, eſt nimis tenue ſicut aqua, ita quod ſi matrici infunditur, tunc liquiditate

ſua

ſua elabitur, & quandoque accidit ex frigiditate teſticulorum vel ſiccitate, & illud ſemen, ſecundum doctrinam medicinæ, ad generationem eſt inconveniens. Sed dubium eſt cujus ſit cauſa, an ex defectu viri, vel mulieris, juxta quod notandum, quod iſto modo ſcitur, accipiantur duæ ollæ & in utramque urina mittatur, viri in unam ollam, & mulieris in aliam, & ponatur in utraque furfur tritici, & talis experimentator diligenter obſtruat ollas per novem dies, vel parum amplius, & ſi contingit ex vitio viri defectus, inveniet quoſdam vermes in olla, & cacabus debet ſupra poni, & invenitur rana fœtida, vel cantabra fœtida. Si vero ex vitio mulieris, invenitur in olla ſua menſtruum. Si ex utriuſque vitio, in utraque olla aliquid prædictorum invenitur.

Hic auctor ponit unum notabile, ut patet in textu. Nota, ſi vis bene examinare, accipias aliquid de ſpermate viri, & ponas in aquam, ſi tendit ad fundum, ſignum eſt quod ſemen viri non eſt in defectu conceptionis. Quia eſt bene digeſtum & ſpiſſum, ideo petit fundum: Nota quod mulieres quæ ſæpe coëunt propter delectationem, illæ generant fœtus debiles, debent ergo abſtinere à coïtu, tunc generabunt fortes pueros & homines, quia ſemen eſt ſatis forte, & unus frater poteſt convenienter eſſe fortior alio. Unde nota cauſam experimenti, ſi ſemen viri eſt minus tenue, tunc cito convertitur in vermes, & non habet virtutem reſiſtentem actioni corporis cæleſtis. Unde iſta humiditas quæ in fundo non

eſt denſa & pene indurata, cito alteratur. Nota, quod ſi mulier biberit ſalviam coctam per tres dies, tunc non concipiet in uno anno, glo: quia ſalvia eſt frigida. Item comedat apem, & nunquam concipiet. Et ergo ex illis concludo, quod mulieres ſæpe coëunt, ſimiliter viri, propter magnam delectationem quam habent ad invicem, quia vulva in ſe continet magnam dulcedinem viro, ſed tamen de illis non multum dico ad præſens.

Si quis igitur velit mulierem juvare, ut impraegnetur, & maſculum concipiat, accipiat matricem leporis & inteſtina ejuſdem, & faciat deſiccari, & in pulverem redigat, & illud mulier bibat temperatum cum vino, & ſimiliter faciat cum teſticulo leporis, & hoc in fine menſtruorum, & cum viro ſuo coëat, & concipiet maſculum. Item accipiat mulier ſuccinctam, & ſtringat in lacte aſinæ lanam caprinam, & liget ſuper umbilicum ejus, donec coëat cum viro ſuo, & concipiet. Et hoc dico remotis interciſſis cauſis vel impedimentis aliis, quibus per ignorantiam hominis effectus ille prohibetur. Et ſi quærat aliquis, quæ ſunt illa impedimenta? inſpiciat diligenter omnia, quæ uſque ad iſtum locum dicta ſunt. Item accipiat aliquis hepar parvi porci, & teſticulos, & deſiccet & etiam redigat in pulverem, & det in potum maſculo & mulieri, & maſculus ſi prius impotens fuit ad generandum, generabit, & mulier quæ non potuit concipere, tunc concipiet.

Capitulum aliud quomodo mulier debet juvari

vari ut concipiat, maxime ut concipiat maſculum. Nota quod matrix leporis & inteſtina ſi deſiccantur & pulveriſantur, fiunt multum calida, ſimiliter & hepar porci in ſe eſt calidum, & ſic generabunt calorem ſufficientem ad conceptionem. Nota quod illud debet fieri in fine menſtruorum, quia tunc matrix eſt ſicca, & quodammodo calidior per receſſum menſtruorum frigidorum. Item ſunt alia experimenta. Mulier accipiat camphoram herbam pulveriſatam, & bibat eam cum vino, & concipiet. Item urina viri bibita, impedit conceptionem. Item ſi accipiat vulvam leporis, & pulveriſet cum melle liquido, & accipiat cor tauri, & illa pariter accipiant ebullitionem, & ſic mulier accipiat in una ſeptimana, ita quod uno tempore plus quam alio tempore concipiet. Item mulier debet uti calidis & bonis cibariis, & debet quodammodo inebriari & bene fricari, & debet cavere, ne crura elevata ſemen impediant, ita quod debet ſe cito labori applicare ad retinendum, & ſtatim poſtea dormitet, & ſine dubio concipiet.

Eſt etiam documentum obſervandum, ſcilicet quando aliquis ſentit mulierem concepiſſe, non nominet in præſentia mulieris aliquid eſſe de variis cibariis ad quod appetitus mulieris poſſet inclinari, niſi ei poſſit libitum proſequi, quia ſi mulier tale poſtularet, ſed nullo modo poſſet haberi, haberet occaſionem aboriendi propter contrariam diſpoſitionem appetitus. Fœtus enim ſic conceptus debilis reddi-

redditur & extinguitur. Ideo conſultum eſt, Quando mulieres petunt carbones vel aliquid conſimile, quod eis miniſtretur. Vidi enim de quadam muliere, quæ cum imprægnata fuiſſet, petiit poma recentia, quæ cum habere non potuit, cecidit ad lectum, & intra diem & noctem nihil guſtavit, nec panem nec potum, & fuerunt circa eam juvenes mulieres & ancillæ, quæ prius non conceperant, quibus illa fuerunt occulta: & quando imprægnata petiit poma recentia, & ancillæ aſtantes dixerunt, non inveniuntur, loquentes inter ſe, quod venenoſum eſt dare mulieri poma, quia viderant in febricitantibus conſimile & in parte illa deceptæ ſunt: tunc autem illa imprægnata, ex carentia pomorum multum fuit debilitata, in tantum quod fœtus antequam ad debitum tempus pervenit, mortuus exivit, in cujus egreſſu illa laboravit diebus tribus & noctibus, & ante egreſſum mulier emiſit ſanguinem per nares duobus diebus, & una nocte: ille vero ſanguis fuit menſtruoſus, & ſignum corruptionis fœtus fuit illud: Juxta illud Hippocratis, menſtruis fluentibus impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum. Ideo, ut omnia illa pericula evitentur apud omnes imprægnatas, bonum eſt quod mulier in cuſtodio habeatur, & modice moveatur, & ut ei cibaria mollia & lenia miniſtrentur, & omnia juxta appetitum proſequantur.

In toto hoc textu recitato ponit auctor duo documenta, & ſatis manifeſte patent ex textu.

Sed

Sed antequam noſtrum ſermonem ad alia convertamus, notandum eſt unum notabile ſignum, quod ſit ad cognitionem maſculi in utero matris exiſtentis, & eſt illud. Accipiat aquam mundam de fonte claro & puro, & procuret ſibi unam guttam ſanguinis vel lactis de dextro latere mulieris, & infundat guttam illam aquæ. Si tunc gutta petit fundum, ſignum eſt maſculi, ſi vero ſupernataverit, ſignum eſt fœmellæ. Item ſi dextra mammilla fuerit major ſiniſtra, imprægnata eſt maſculo, ſi vero ſiniſtra major fuerit, fœminam portat.

Hic auctor ponit ſecundum documentum. Et nota quod quando mulier concepit, tunc debilitatur & variatur gratia fœtus concepti in ipſa: & ideo quicquid cupit, ſibi detur, & ſi non, tunc evenit dolor, eo quod appetitus non procedit; quia voluntas delectatur in proſequendo quod diligit. Unde nihil appetit niſi fuerit amatum, ex tertio de anima. Et per comment. 3. Ethic. patet, quia voluntas eſt appetitus intellectus, & ſemper eſt bona ſimpliciter, vel apparet. Unde omnia bonum appetunt, ut patet per definitionem boni quam dat Ariſt. in principio primi Ethicorum dicens : Bonum eſt quod omnia appetunt. *Nota quod poſt conceptionem, quando menſtruum fluit, hoc eſt ſignum deſtructionis fœtus, quia fœtus debet nutriri de menſtruo fluente, ſed ſi modicum fluit, hoc fit ad purgationem naturæ, ne fœtus ſuffocetur, hoc eſt commodum.*

CAP.

CAPUT ULTIMUM.

De Spermatis Natura & Digeſtione.

PRiuſquam vero finem dictis imponamus, (ut noſtra doctrina ſubtiliter & magis complete habeatur) cum de materia menſtruorum aliqualiter dictum eſt, tranſeundum eſt ad materiam ſpermatis in viro. Sperma vero, ut ſupra dictum eſt, nihil aliud eſt quam *ſuperfluum alimenti, quod in ſubſtantiam rei alendæ non cedit*, juxta quod notandum, quod Medici quatuor ponunt in homine digeſtiones. Et dicunt quod talis eſt modus nutritionis, quod primo cibus manducatus in ore, dirigitur ab ore ad ipſum ſtomachum, & ibi fit digeſtio prima, & ibi ſeparatur purum terreſtre ab impuro terreſtri, & illud impurum dirigitur ad viſcera, & ulterius emittitur per ſeceſſum. Sed purum hoc ulterius dirigitur ad hepar, & ibi fit 2. digeſtio. Et tunc iterum ibi ſeparatur purum aquaticum ab impuro aquatico. Impurum aquaticum dirigitur ad veſicam, & ulterius per micturam emittitur, ſed purum dirigitur ad cor, & fit ibi 3. digeſtio, & ſeparatur purum ab impuro. Impurum dirigitur ad vaſa ſeminalia, & ex illo fit ſperma in viro & in muliere menſtruum: ſed purum eſt ſanguis, & illud dirigitur à corde per magnas venas, quæ dicuntur capillares, per quas venas dirigitur ſanguis ad ſingula membra, & in illis membris fit ultima digeſtio, & iterum ſeparatur purum ab impuro, & impurum emittitur per ſudores

dores & per ungues, & conſimilia: Hoc autem purum convertitur & congelatur in ſubſtantiam alimenti, ita quod tales pori, qui ſunt evacuati per calorem naturalem, ibi è converſo repleantur, & ſi plus veniret quam eſt deperditum, tunc dicitur augmentatio, ſed ad hoc requiruntur quatuor. Primo materia ſufficiens eſt panis & conſimilia. Secundo potus recipiens illam quartam digeſtionem. Tertio natura diſtribuens. Quarto calor naturalis convertens alimentum in alitum.

Hic auctor exequitur de ultimo motivo libri, & oſtendit modum generationis ſpermatis. Nota, quod homo eſt optimæ digeſtionis & ſubtilioris, quia eſt magni caloris, & propter multos labores digerit & conſumit humidum, quia calor agit in humidum ſicut in ſubjectum, & calor facit exhalare humidum radicale, ideo oportet eſſe reſtauramentum caloris, ne conſumat humidum radicale, & ſic mors ſequeretur, quia conſumpto humido radicali in quo conſiſtit vita, nullæ proſunt medicinæ, ſed tamen notandum, quod unicum individuum per aliquam medicinam poteſt vivere per annum vel amplius, ſine nutrimento, ſicut expertum eſt, ſed hoc non poteſt fieri, niſi curſu communi. Nota quod maſticatio eſt quædam contritio cibi facta per dentes, & ſic natura ordinavit in anteriori parte dentes acutos ut bene dividant cibum, ſed in fine latos ordinavit propter maſticationem.

Verſus:

Sunt

Sunt hominis dentes triginta duo comedentes.

Sed de his quæ dicta ſunt, conſurgit dubitatio quædam, utrum calor agat in ipſum humidum? conſuetudo, ſicut operatio caloris in eo quod calor naturalis. Pro quo ſciendum, quod ſecundum Ariſtotelem 4. Meteor. cap. de operatione, quod triplex eſt operatio quæ ex parte caloris accipitur in capite de operatione qualitatum activorum. Prima operatio caloris in quantum calor habet diſſolvere & exhalare & congregare homogenea, & diſgregare heterogenea. Secundum patet, quia ſi accipitur una maſſa de auro & argento, & ponatur in ignem, calor facit fluere aurum ab argento, & è converſo. Et ſic locutus eſt Phil. 2. de generatione, ubi dicit, quod calor determinatus agit tanquam organum, ſcilicet ſecuris, vel bipennis ſemper diſſolvit conjuncta. Sed calor in eo quod naturalis calor habet in ſe virtutem formativam uniuſcujuſque rei vel naturæ, cujus calor dicitur eſſe naturalis, & ſic in eo eſt virtus cœli, vel virtus motorum cœleſtium, & vis ſeminis, complexionis, vel formæ illius naturæ quam format. Sicut contingit videre in calore ſeminis plantæ & animalis, ubi eſt vis quæ vocatur forma plantæ. Et eodem modo credo quod ſi in naturalibus quantum calor naturalis habet dirigere humidum, vel proportionetur ſibi ſubjectum ſecundum exigentiam cujuſlibet ſpeciei. Sic ergo educit humidum ipſum conſumendo, non

in

in quantum calor, ſed in quantum calor naturalis, qui in digeſtionem accipitur, quia in digeſtione accipitur illud humidum, & illa digeſtio terminatur ad ſpeciem ejus, cujus eſt humidum, ſicut ad ſpeciem partis plantæ, vel animalis, vel hominis, & hoc nullo modo faceret in quantum eſt calor, ſed potius reſolveret totum humidum, ita quod in ſiccum terminaretur. Illis riſis & intellectis breviter ad propoſitum redeamus, & dicamus quod *ſperma nihil aliud eſt quam ſuperfluum alimenti, quod in ſubſtantiam rei alendæ non cedit.* Et ſic ex his quæ dicta ſunt, manifeſtè apparet, quæ ſit definitio ſpermatis ſecundum illa quæ aliqualiter prius fuerunt ignota. Cum ergo tantum digeritur in utero præcipue juxta tertiam digeſtionem, quia tunc non totum cedit ad deperditum, ſed per reſtaurationem mittitur, vel mutatur in cruorem ſanguinis ſubtilis, & datur ad vaſa ſeminalia, ubi virtute teſticulorum illud etiam dealbatur & fermentatur, ideo ſperma viri eſt albi coloris propter ultimam decoctionem quam habet ex parte teſticulorum. Illud idem ſperma amplius emiſſum à viro, nimium deſiccat corpus, quia virtutem humectandi & calefaciendi habet. Calore autem extracto & humido, fit debilitatio vitæ, & per conſequens mors. Et hoc eſt cauſa quare illi qui multum coëunt & frequenter, non ſunt longæ vitæ, quia corpora à naturali humido exſiccantur, & deſiccatio eſt cauſa mortis. Cauſa ergo ſufficiente poſita poni-

ponitur effectus ejus. Et huic conſonat quod dicit Ariſtot. 1. de longitate & brevitate vitæ, quia ſperma amplius emiſſum deſiccat corpus. Et ſubdit : Propter hoc enim mulus longioris vitæ eſt quam aſinus vel equus, ex quo genitus eſt, ut fœmellæ maſculis, ſi maſculi coïtivi ſunt. Et ſubdit, quod propter has paſſiones maſculi brevioris vitæ ſunt fœmellis. Eſt enim generaliter verum, quod maſculi longioris vitæ ſunt fœmellis, ſi coïtivi non fuerint. Sic ergo ex intentione Philoſophi patet, quod vita hominis conſiſtit in calido & humido radicaliter, quamvis in aliis inſtrumentaliter, & miniſterialiter, & ſic patet quod coïtus exſiccat. Etiam patet, quod poſita cauſa conſervante effectum, ponitur & ipſe effectus. Si vero cauſa deſtrueretur, & effectus deſtrueretur. Ergo à primo ad ultimum, coïtus qui amplius fit, eſt cauſa brevitatis vitæ, &c.

Sequitur de materia ſpermatis, per venerabilem Avicennam conſcriptum.

Circa materiam ſpermatis ſunt quædam notanda adhuc, ſcilicet quod ſperma viri aliquando eſt durum, & bene decoctum decoctione teſticulorum, ita quod quælibet pars ineſt parti, in modum lactis coagulati, & illud ſperma album eſt velut lac coagulatum forti coagulatione : habet tamen naturam confirmandæ influxibilitatis, non in partibus ſuis, ſed de genitalibus vaſis teſticulorum. Aliter enim non expelleretur de vaſis genitalibus in vul-

vulvam mulieris. Et de iſto ſpermate generatur robuſtus & fortis fœtus. Et aliud ſemen tenue & in ſuis partibus fluxibile, & illud non eſt bene decoctum, ſi illud expellitur, & in matricem recipiatur, fit ex eo fœtus tenuis & fragilis naturæ, & illud habet naturam lactis liquidi & tenuis. Contingit enim aliquando debilitatio naturæ apud fœtum, quod caput debilitatur, & hoc quando mulieres impraegnatæ alium puerum prius genitum cum alio nutriunt. Cauſa vero hujus debilitationis eſt, quia iſta materia de qua puer exiſtens in utero debet paſci & nutriri, cedit in alimentum pueri prius geniti, quem lactat mater, & iſte caſus contingit hodierna die propter inexperientiam mulierum, cauſam illius defectus neſcientes: ideo mulieres impraegnatæ nunquam deberent lactare pueros poſt conceptionem vel impraegnationem alterius pueri vel fœtus, propter cauſas ſuperius enumeratas.

Hic auctor ponit dubium, & ſat patet in textu. Nota quod calor in animali non facit digeſtionem, in quantum calor, ſed in quantum eſt bene regulatum ab anima. Et ideo peccaverunt aliqui antiqui dicentes, quod in plantis eſſet nutritio, & in ſuperiori parte eſſet ab igne, & in inferiori eſſet à terra, hoc non valet, quia dicit Ariſtoteles ſecundo de anima, quod ſi ſic eſſet, tunc mixtum cito diſſolveretur. Quid enim continent elementa in mixto niſi animam? Unde, anima eſt principium omnis actionis, *ſed calor ſive ſpiritus ſunt inſtrumenta, quia ſunt*

ſunt in virtute animæ, & non in virtute ſui ipſius.

CONCLUSIO.

His viſis finem dictis imponamus, & gratias Deo reddamus, qui noſtrum in hoc opere & in aliis illuminat intellectum. Et de omiſſis peto veniam & auxilium divinæ gratiæ, à qua omnis ſapientia orta eſt & vita æterna. Ad quam nos Deus omnipotens & glorioſus, cuncta gubernans atque regens, perducat. Qui cum patre & ſpiritu ſancto vivit & regnat, & in quo eſt ſumma ſecuritas, tranquillitas, jucunditas, & ſine fine æternitatis ſanctorum exiſtat omnium per infinita ſeculorum ſecula, *Amen.*

Liber aggregationis ſeu liber ſecretorum ALBERTI MAGNI, de virtutibus Herbarum, Lapidum, & Animalium quorundam.

LIBER PRIMUS.

De virtutibus quarundam Herbarum.

SICUT vult Philoſophus in pluribus locis, omnis ſcientia de genere bonorum eſt. Verumtamen enim operatur aliquando bona, aliquando mala, prout ſcientia mutatur ad bonum & ad

ad malum finem, ad quem operatur. Ex quo concluduntur duo. Quorum unum & primum eſt, quod ſcientia magicalis non eſt mala. Namque per ejus cognitionem poteſt evitari malum & proſequi bonum. Concluditur etiam ſecundum eum quod effectus laudatur propter finem. Atque vituperatur etiam finis ſcientiæ aliquando non ordinatus ad bonum vel ad virtutem. Ex hoc ſequitur, quod ſcientia vel operatio aliquando bona vel mala. Quia igitur magicalis, ſeu cognitio bona eſt, ut præſuppoſitum eſt, & mala aliquantulum exiſtit in ſpeculatione naturalium, ſecundum quod ex antiquis autoribus examinavi & percepi: imo & egomet ALBERTUS, ut in pluribus veritatem inveni, & veritatem ſuppono, quo ab aliquo ex Chyrandis libro Alchorat. Primo narrabo de quibuſdam herbis. Poſt de quibuſdam lapidibus. Tertio de quibuſdam animalibus & de virtutibus eorundem.

Eliotropia.	Lilium.
Urtica.	Viſcus quercinus.
Virga paſtoris.	Centaurea.
Chelidonia.	Salvia.
Provincia.	Nephta, Verbena.
Lingua canis.	Meliſophylos.
Juſquiamus.	Roſa ſerpentina.

Prima herba apud Chaldæos vocatur Ireos: apud Græcos Mutuchiol: apud Latinos Eliotropia. Cujus interpretatio dicitur ab Elyos, quod eſt Sol: & *tropos* converſio, quia converſa

verſa eſt ad ſolem. Hujus autem virtus mirabilis eſt, quia ſi iſta colligatur Sole exiſtente in Leone in Auguſto, & volvatur in laurifolio, & ſimul addatur dens lupi, & feratur: nullus contra furentem poterit habere vocem loquendi, niſi verba pacifica. Etſi enim aliquis furetur, & in nocte ſub capite ſuo ponat, videbit furem & omnes ejus conditiones. Et iterum, ſi prædicta ponatur in aliquo templo ubi ſint mulieres, quarum connubium parte ſui frangatur, nunquam poterunt exire de templo, niſi deponatur. Et hoc ultimum probatum eſt & veriſſimum.

Secunda herba vocatur à Chaldæis Roybra, à Græcis Olieribus, à Latinis vel Gallis Urtica nuncupatur. Hanc herbam tenens in manu cum mille folio, ſecurus eſt ab omni metu & ab omni phantaſmate. Et ſi id ponatur cum ſucco Sempervivæ, & ungantur manus, & reſiduum ponatur in aqua, & aquam intret ubi ſunt piſces, ad manus ejus congregabuntur, & etiam ad piſcellum. Et ſi extrahatur, ſtatim reſiliunt ad loca propria ubi erant prius.

Tertia herba à Chaldæis Loromborot dicitur, à Græcis Allomot, à Latinis Virga paſtoris. Herbam hanc accipe & cum ſucco mandragoræ diſtempera, & da cani vel alteri animali, & imprægnabitur in ſuo genere, & habebit fœtum in ſuo genere. De quo fœtu ſi accipiatur dens maxillaris, & intingatur in cibo vel potu, omnes qui inde potabunt, mox incipient bellum, & cum volueris delere, da eis

eis ſuccum amantile, id eſt, valeriæ, & fiet ſtatim pax inter eos. Quarta herba à Chaldæis Aquilaris dicitur, quia naſcitur tempore quo aquilæ faciunt nidos ſuos; à Græcis dicitur Valis, à Latinis Chelidonia. Iſta herba tempore quo hirundines faciunt nidos, naſcitur: quo etiam aquilæ. Hanc herbam ſi quis cum corde talpæ habuerit, devincet omnes hoſtes, omnes cauſas, & omnes lites removebit. Et ſi prædicta ponatur ſuper caput infirmi, ſi debet mori, ſtatim cantabit alta voce: Si non, lacrymabit.

Quinta herba à Chaldæis Interiſi dicitur, à Græcis Vorax, à Latinis Proventalis vel Provinſa. Illa enim pulveriſata cum vermibus terræ circumvolutis, & cum ſemperviva, amorem inducit inter virum & uxorem ſi utatur illâ in cibariis. Et ſi compoſitio iſtorum cum aliquantulo ſulphuris ponatur in ſtagno, ubi ſunt piſces, omnes morientur. Et ſi ad os bubali ponatur, ſtatim crepabit per medium: & hoc experimentum eſt à modernis. Si iterum dicta confectio ponatur in igne, ſtatim convertetur in lividum colorem.

Sexta herba à Chaldæis vocatur Bieith, à Græcis Retus, à Latinis Nephta. Hanc herbam accipe, & miſce cum lapide invento in nido upupæ avis, & frices ventrem alicujus animalis, & imprægnabitur, & habebit fœtum in ſuo genere nigerrimum; Et ſi eis ponatur ad nares, ſtatim ad terram ca-

dunt velut mortua. Poſt modicum vero ſpatium curabuntur: & ſi prædictum compoſitum in vaſe apum ponatur, nunquam fugient, ſed ibi congregabuntur apes. Et ſi apes ſubmergantur, & quaſi moriantur, & in confectione prædicta ponantur, poſt modicum temporis, & per ſpatium unius horæ recuperabunt vitam. Nam & illud proportionatur qualitati deperditæ, & ſignum ab hoc eſt quod ſi muſcæ ſubmerſæ in cineribus tepidis ponantur, poſt modicum ſpatium vitam recuperabunt.

Septima herba à Chaldæis Algeil, à Græcis Orum, à Latinis Lingua canis nuncupatur. Herbam hanc cum corde raniculæ, & ejus matrice pone ubi vis, & poſt modicum temporis congregabuntur omnes canes villæ. Et ſi prædictam ſub pollice pedis habueris, omnes canes obmuteſcent, nec poterunt latrare, & ſi prædictam in collo alicujus canis poſueris, ita quod non poſſit ore attingere, ſemper vertetur in circuitu ad modum volubilis rotæ, donec cadet in terram velut mortuus: de hoc eſt expertum noſtro tempore.

Octava herba à Chaldæis Manſeſa, à Græcis Ventoſin, à Latinis vel Gallis Juſquiamus dicitur. Hanc herbam accipe & miſce cum Realgalis, & Hermodactilis, & pone in cibo canis rabidi, & ſtatim peribit: & ſi ſuccum ejus cum ſupradictis poſueris in ſcypho argenteo, minutiſſimè frangetur, & ſi ſupradic-

tum

tum cum ſanguine leporis juvenis commiſcueris, & in pelle leporis conſerves, omnes lepores congregabuntur ibidem, donec remotum fuerit.

Nona herba à Chaldæis Ango, à Græcis Amala, à Latinis Lilium. Si hanc herbam Sole exiſtente in Leonis ſigno collegeris, & cum lauri ſucco commiſcueris: deinde ſub fimo tempore aliquo ſuccum illum poſueris, fient vermes. De quibus ſi fiat pulvis, & ponatur circa collum alicujus, vel in veſtimentis ſuis, nunquam dormiet, vel dormire poterit, quouſque depoſitum fuerit. Et ſi prædictum ſub fimo poſueris & de vermibus inde naſcentibus aliquem unxeris, ſtatim inducetur ad febrem. Et ſi prædictum ponatur in vaſe aliquo, ubi ſit lac vaccæ, & cooperiatur de pelle alicujus vaccæ unius coloris, omnes vaccæ amittent lac ſuum, & hoc maxime expertum eſt tempore noſtro à quibuſdam ſortilatoribus.

Decima herba à Chaldæis dicitur Luperax, à Græcis Eſiſena, à Latinis Viſcus querci, & creſcit in arboribus transforata arbore. Hæc herba cum quadam alia herba quæ dicitur Martegon, id eſt, ſylvium, ut ſcribitur lingua Theutonica, omnes ſeras aperit, & ſi prædictum compoſitum in ore alicujus ponatur, & cogitetur de aliquo, ſi debet accidere, corde infigitur, ſi autem non, corde reſilit. Sed ſi prædictum ad arborem ſuſpendatur cum ala

hirundinis, ibi congregabuntur aves bene per quinque milliaria, & hoc ultimum tempore meo eſt expertum.

Undecima herba à Chaldæis Iſiphilon dicitur, à Græcis Orlegonia, à Latinis Centaurea vocatur. Hanc autem herbam dicunt Magi habere mirabilem virtutem. Si enim adjungatur cum ſanguine upupæ fœmellæ & ponatur cum oleo in lucerna, omnes circumſtantes credent ſe eſſe Magos, ita quod unus altero credet ſuum caput ſit in terra, & pedes in cœlo, & ſi prædictum ponatur in igne ſtellis lucentibus, videbitur quod ſtellæ currant ad invicem & debellent: & ſi iterum prædictum cataplaſma ponatur ad nares alicujus, præ timore quem habebit fugiet vehementer, & hoc expertum eſt.

Duodecima herba à Chaldæis Colorio, vel Coloricon, à Græcis Clamor, à Latinis Salvia communiter eſt nuncupata. Hæc autem herba putrefacta ſub fimo in vaſe vitreo procreat quendam vermem vel avem habentem caudam in modum merulæ, de cujus ſanguine ſi tangatur aliquis in pectore, emittet ſenſum, per quindenam & plus. Et ſi prædictus ſerpens comburatur, & ponatur cinis in igne, ſtatim fiet yſitis tonitrui horribilis. Et ſi prædictus pulvis ponatur in lampade & accendatur, videbitur quod tota domus ſerpentibus repleatur. Et hoc eſt expertum à modernis.

Tertiadecima herba à Chaldæis Olphanas, à Græcis Hiliorion, à Latinis Verbena dicitur.

tur. Hæc autem herba, ut referunt Magi, collecta ſole exiſtente in ſigno Arietis, & conjecta cum grano Pæoniæ unius anni, caducos à malo morbo curat. Et ſi ponatur in terra pingui, poſt octo ſeptimanas generabuntur vermes, qui ſi aliquem tetigerunt, ſtatim morietur. Et ſi prædictum ponatur in columbario, omnes columbæ congregabuntur ibi. Et ſi pulvis illorum in ſole ponatur, videbitur quod ſol ſit lividus. Si autem pulvis ponatur in loco ubi homines habitant, vel jacet inter duos amantes, ſtatim fit lis vel malitia inter eos.

Quartadecima herba à Chaldæis Celeyos dicitur, à Græcis Caſini, à Latinis Meliſophilos, de qua Macer facit mentionem. Hæc autem herba collecta viridis, & conjecta cum ſucco cypreſſi unius anni, poſita in pulmento, facit pulmentum videri plenum vermibus, & deferentem facit eſſe benignum & gratioſum, & adverſarios devincere. Et ſi prædicta herba ligetur collo bovis, ſequetur te, quocunque ieris, & ſi prædicto ſucco corrigiam miſcueris, & de tertia parte ſudoris hominis ruſſi, & te ſub aſcellis ſtatim cingens crepabit per medium.

Quintadecima herba à Chaldæis Egleriſa, à Græcis Yſaphinus, à Latinis Roſa, dicitur, & eſt herba cujus flos eſt notiſſimus. Accipe granum ejus & granum ſinapis, & pedem muſtelæ, hæc ſuſpende in arbore, & de cætero non fructificabit. Et ſi prædictum

 pona-

ponatur circa rete, congregabuntur ibi piſces. Et ſi magaris mortuum fuerit, & in commixtione prædicta ponatur per dimidium diem: licet tamen non acquiritur, recuperabit vitam. Et ſi pulvis prædictis ponatur in lampade, poſtea accendatur, omnes videbuntur nigri ad modum ſatanæ. Et ſi pulvis prædictus admiſceatur cum oleo olivæ & cum ſulphure vivo, & de hoc ungatur domus Sole lucente, ipſa tota videbitur flamma.

Sextadecima herba à Chaldæis Cartulin, à Græcis Quirquefolium, à Latinis Serpentina vocatur. Hæc herba apud nos ſatis eſt nota. Hæc autem herba cum folio trifolii inhumata generat ſerpentes rubeos & virides, de quibus ſi fiat pulvis, & ponatur in lampade ardente, videbitur ibi copia ſerpentum, & ſi ſub capite alicujus ponatur, de cætero non ſomniabitur ibi.

Modus autem operandi omnium prædictorum eſt, ut effectus bonus ſit in planeta bono, & malus in malo, id eſt, in horis & diebus eorum.

Virtutes herbarum 7. ſecundum Alexandrum Imperatorem, & has quidem virtutes habuerunt ipſæ ab influentia planetarum. Contingit autem unamquamque percipere virtutem ſuam à ſuperioribus naturalibus.

Prima autem herba Saturni quæ Affodilius dicitur. Succus ejus valet ad dolorem renum & tibiarum. Et datur patientibus dolorem veſicæ, radix ejus cocta parum. Et dæmoniaci

vel

vel melancholici ipſam deferunt in linteo mundo & liberantur, nec in domo patitur eſſe, & ſi ibidem fuerint. Producentes dentes pueri & eam ferent, ſine dolore eos producent, & eſt bonum ut homo deferat ſecunda nocte radicem, quia non timebit, neque lædetur ab aliis.

Herba ſecunda Solis dicitur Poligonia vel Corrigiola. Hæc enim herba nomen ſuſcepit à Sole: nam eſt multum generans. Sic enim & hæc herba eſt multos faciens modos. Hanc quidem herbam alii appellaverunt Alchone, quæ eſt domus Solis, hæc enim herba ſanat paſſiones cordis & ſtomachi. Qui attingit hanc herbam, habet virtutem à ſigno ſuo vel planeta. Si quis autem ſuccum bibit, facit eum multum coïre. Et ſi quis deferat radicem ejus, curat paſſiones oculorum. Et ſi antiquam aliam habuerit paſſionem & potaverit ſuccum, non ſupervenit ei paſſio oculorum. Juvat etiam Phreneticos, ſi eum ſecum deferunt in locis, id eſt, pectore. Juvat etiam Peripneumonicos, & facit eis bonum anhelitum, & facit etiam ad fluxum ſanguinis Melancholici.

Herba tertia Lunæ Chrynoſtates dicitur, ſuccus ejus purgat exacerbationes ſtomachi, thoracis & caſtorem, quia oſtendit ſe eſſe herbam Lunæ. Flos autem hujus herbæ purgat ſplenes magnos & curat ipſos, quia ipſe creſcit & decreſcit ſicut Luna. Valet ad ophthalmiam, & facit acutum viſum, & valet contra ſanguinem oculorum. Si radicem

ejus tritam ponis ſuper oculum, mirabiliter viſum clarificat, quia lumen oculorum propinquatum myſticum ſubſtantiæ Lunæ. Etiam confert malum ſtomachum habentibus, qui non poſſunt cibum digerere, bibendo ſuccum ejus: amplius valet habentibus ſcrophulas.

Herba quarta, Arnogloſſa dicitur. Radix hujus herbæ valet contra dolorem capitis mirifice, quoniam opinatur eſſe domus Martis aries, quæ eſt caput totius mundi. Valet etiam contra malas conſuetudines teſticulorum, & ulcera putrida & ſordida, quia domus eſt ſcorpio: quia pars ejus retinet ſperma, id eſt ſemen quod venit contra teſticulos. Valet etiam ſuccus ejus dyſentericis & hæmoptoicis, & ad vitia hæmorrhoidarum & ſtomachi, dum quis eum biberit.

Herba quinta Mercurii dicitur Pentaphilon, à quibuſdam Pentadactylus, ab aliis Sepedeclinans, à quibuſdam Calipendalo. Radix hujus herbæ ſanat plagas & duritiem, trita & emplaſtrata. Amplius ſcrophulas diluit velociter, ſi ſuccus ejus bibatur cum aqua. Sanat etiam farigos & paſſiones pectoris ſeu dolores ſi ſuccus ejus bibatur: Solvit etiam dentium dolores, & ſi ſuccus ejus ore teneatur, omnes oris curat paſſiones. Et ſi quis ſecum deferat, opus dat & auxilium. Amplius ſi quis vult à rege vel à principe petere aliquid, copiam dat eloquentiæ, ſi ſecum eam habeat, & obtinebit quod voluerit.

Va-

Valet etiam in lithiaſi & diſuria ſuccus ejus habitus.

Herba ſexta Jovis dicitur Acharon, à quibuſdam Juſquiamus. Radix ejus poſita ſuper bubones, eos diſpergit: & obſervat locum à phlegmone. Si quis eam portaverit antequam ei paſſio ſuperveniat, nunquam bubonem habebit. Confert etiam radix ejus podagræ dum ponitur trita ſuper locum patientis, & hæc quidem operatur virtute ſignorum habentium pedes, vel habentium aſpectum ſuper pedes; & ſuccus ejus ſi bibatur cum melle, cum mellicrato, confert doloribus hepatis, & omnibus ejus paſſionibus, quoniam Jupiter tenet hepar. Similiter confert volentibus multum coïre. Eſt & utilis ut eam deferant ſecum volentes diligi à mulieribus. Facit enim deferentes lætos & delectabiles.

Septima herba Veneris dicitur Piſteriona; quibuſdam Hierobota dicitur, id eſt, herba columbaria & verbena. Radix hujus herbæ poſita ſuper collum ſanat ſcrophulas & parocidas, & bubones colli & ſtaphylion, id eſt, urinæ deſtillationem & yſinon: ponatur emplaſtrum & eſt comparatum paſſionibus iſtius loci. Sanat etiam ſciſſuras & condylomata, id eſt durities, quæ naſcuntur in ano & hæmorrhoidas. Si ſuccus ejus cum melle in aqua cocta bibatur, ſubtiliſat ea quæ ſunt in pulmone, & facit bonum anhelitum, nam detinet pulmonem. Valet etiam multum in aphrodiſia, id eſt, coïtu, quia ſuc-

cus ejus auget multum ſperma, cum quis vult coïre addit ad deſiderium ejus, & major virtus ipſius herbæ eſt, quia ſi quis eam portaverit, erit multum potens in coïtu. Verum tamen teneat aliquid aliud, niſi iſtam herbam tantum. Si quis ponat eam in domo, vel vinea, vel in terris, abundanter habebit reditus. Amplius radix ipſius valet omnibus illis qui volunt plantare vineas vel arbores, & infantes portantes ipſam erunt bene diſciplinati, & amantes doctrinam, & erunt læti & gaudioſi. Confert etiam poſita in purgationibus & repellit dæmones omnes.

Prædictas tamen herbas à 23. die Lunæ uſque ad triginta incipiendo collectionem ipſam levare à Mercurio per totam horam dierum evellendo fac mentionem paſſionis, ut rei ſcilicet nomina paſſionem vel rem propter quam ipſam colligis, & ipſam accipe herbam. Loca tamen ipſam ſuper frumentum, vel hordeum, & ea utere ad opus tuum poſtea.

Explicit Liber primus.

LIBER SECUNDUS

Alberti Magni, & eſt de virtutibus Lapidum quorundam.

IAM cum dictum ſit de virtutibus herbarum quarundam, & de modo agendi, nunc in præſenti capitulo dicendum eſt de Lapidibus quibuſdam, & eorum effectibus, & qualiter poſſunt accipi magna mirabilia opera.

Magnes.	Feripendanus.	Medor.
Opthalmius.	Silonites.	Memphytes.
Onyx.	Topazion.	Abaſton.
Adamas.	Lipercol.	Amatiſtus.
Agathe.	Urices.	Berillus.
Corallus.	Lazuli.	Celonites.
Chryſtallus.	Smaragdus.	Chryſolites.
Chryſolytus.	Iris.	Beratides.
Eliotropia.	Baleſia.	Nichomar.
Epiſtrites.	Galeriates.	Quirim.
Chalcedonius.	Draconites.	Raianus.
Chelidonius.	Echites.	Orithes.
Gagates.	Terpiſtrites.	Saphyrus.
Bena.	Jacinthus.	Saunus.
Iſthmos.	Alectorius.	
Tabrices.	Eſmundus.	

Si vis ſcire utrum mulier tua ſit caſta, accipe lapidem qui Magnes vocatur. Eſt au-

tem ferruginei coloris, & invenitur in mari indico, & aliquando in partibus Teutoniæ, in illa provincia quæ Francia orientalis vocatur. Suppone ergo lapidem hunc capiti mulieris, & ſi caſta eſt, ipſa maritum amplexabitur, ſi autem non, ſtatim cadet è lecto. Ad hoc autem ſi lapis iſte ponatur ſuper carbones in quatuor angulis domus, dico tritus, & ſuper carbones ſparſus, dormientes fugient ædes & relinquent totum, & tunc poſſunt fures reſpicere totum quod volunt. Si vis fieri inviſibilis, accipe lapidem qui dicitur Ophthalmius, & involve in folio lauri. Et dicitur lapis Ophthalmius, cujus color non nominatur, nam multorum colorum, & eſt hic talis virtutis, quod viſus circumſtantium excæcat vel abortat. Conſtantinus autem pugno clauſo reddebatur per eum inviſibilis.

Si vis incitare triſtitias, timores & phantaſias terribiles atque lites, accipe lapidem qui vocatur Onyx, qui eſt nigri coloris, & invenitur melius genus ejus repletum albis venis, & venit de India in Arabiam, & ſi collo vel digito ſuſpendatur, excitat ſtatim triſtitias in homine & terrores: & etiam in ſomno excitat Phantaſias terribiles, & etiam lites, & hoc apud modernos expertum.

Si vis comburere manus alicujus ſine igne adhuc & fugare areticam: Accipe lapidem qui vocatur Feripendanus, qui eſt flavi coloris, qui ſi ſuſpendatur collo alicujus, curat

areti-

areticam: & iterum ſi iſte lapis fortius ſtringatur, ſtatim adurit manum, & ideo leviter & ſuaviter vult palpari.

Si vis accendere animum alicujus ad gaudia & ejus ingenium acuere: Accipe lapidem qui Silonites vocatur, & naſcitur in gremio teſtudinis Indici, & eſſe varium dicitur, albo, rubeo purpureoque colore. Alii dicunt hunc eſſe viridem, & in Perſiæ partibus inveniri. Et dicunt etiam hunc creſcentem Luna creſcente, & è converſo. Et addunt Philoſophi antiqui quod ſi geſtetur, confert præſentiam quorundam futurorum. Si ſub lingua ponatur, præcipue prima Luna, una hora tantum habet virtutem. Ideo autem Luna exiſtente decima habet hanc virtutem in prima hora vel decima. Motus autem ordinis quod eſt ſub lingua, ſi cogitetur de aliquo negotio, utrum debeat fieri an non. Si fieri debet, cordi tenaciter infigitur ita quod avelli non poteſt: ſi autem non, cor ab ipſo reſilit. Fecerunt etiam Philoſophi quod curat phthiſicos & debiles.

Si vis ut aqua bulliens ſtatim exeat manu immiſſa, accipe lapidem qui Topaſion vocatur, à Topaſi inſula, vel quia auri ſimilitudinem protendit, & ſunt duæ ſpecies. Una eſt omnino ſimilis auro & pretioſior eſt. Alia ſpecies eſt crocea, magis ſenſibilis coloris quam ſi aurum, & hæc eſt vilior. Expertum autem eſt in noſtro tempore, quod ſi in aqua bulliente mittatur, defluere facit,

quod

quod ſtatim manu immiſſa extrahitur, & hoc fecit unus de fratribus noſtris Pariſiis. Valet etiam contra Emorrhoicam & ſtimaticam vel lunaticam paſſionem.

Si vis excoriare cutim manuum tuarum vel alterius, accipe lapidem qui vocatur Medor à Medorum regione, & ſunt duæ ſpecies, niger & viridis. Dicitur ab antiquis Philoſophis & modernis quod lapis qui niger eſt, ſi frangatur & in aqua calida reſolutus fuerit, & aliquis manus ſuas laverit, ſtatim excoriabuntur, & ſi ex ea biberit, perit vomendo ſtatim omni cura remota & auxilio. Dicunt etiam Philoſophi quod valet contra podagram & oculorum cæcitatem, & quod oculos læſos & debiles fovet.

Si vis ut aliquis non ſentiat dolorem nec cruciatum. Accipe lapidem qui dicitur Memphites à civitate quæ dicitur Memphis: & eſt hic lapis talis virtutis, ut dicit Aaron & Hermes, quod ſi teratur & aqua miſceatur & detur portari illi qui deberet uri, vel aliquos cruciatus pati, tantam inducit ille potus inſenſibilitatem, quod non ſentiat patiens pœnam neque cruciatum.

Si vis ignem perpetuum inextinguibilem facere. Accipe lapidem qui Abaſton dicitur, & eſt coloris ferrei, & quam plurimum in Arabia reperitur. Si enim lapis ille accendatur, nunquam poterit extingui, eo quod habet naturam lanuginis, quæ pluma ſalamandris vocatur, cum modico humidi unctuoſi pinguis, in-

inſeparabilis eſt ab ipſo, & id fovet ignem accenſum in eo.

Si vis devincere hoſtes: Accipe lapidem qui nuncupatur Adamas, & eſt coloris fulgentis, duriſſimus, ita quod non poteſt frangi niſi ſanguine hirci, & naſcitur in Arabia vel Cypro. Et ſi ſiniſtro latere alligetur, valet contra hoſtes, & inſaniam, & indomitas beſtias & venenoſas, & feros homines, & contra jurgia & rixas, & contra venena & incurſus phantaſmatum; & quidam vocant eum Diamantem.

Si vis cuncta pericula evitare, & vincere cuncta terrena & habere vires cordis. Accipe lapidem qui Agathos dicitur. Et eſt niger habens venas albas. Eſt alius ejuſdem ſpeciei ſimilis colori albo. Et tertius naſcitur in certa inſula habens venas nigras. Et is facit vincere pericula, & confert vires cordibus, & facit hominem potentem, placentem, jucundum, acceptabilem, & juvat contra omnia adverſa.

Si vis impetrare aliquid ab aliquo. Accipe lapidem, qui Alectorius dicitur, & eſt lapis gallinacei vel galli, & eſt albus ut Chryſtallus, & extrahitur de ventriculo gallinacei, poſt quam fuerit caſtratus ultra annum quartum. Et ut quidam dicunt, poſt annum extrahitur de gallo decrepito. Et ad quantitatem fabæ extat, ventrem gratum reddit & conſtantem: & ſub lingua acceptum ſitim extinguit: & hoc ultimum tempore

pore noſtro expertum eſt, & ſubtiliter percepi.

Si vis devincere beſtias & omnia ſomnia interpretari, & de futuris prophetizare: Accipe lapidem qui Eſmundus dicitur vel Aſmadus; varii coloris eſt, omne venenum extinguit, & facit vincere adverſarios & prophetizationem dat, interpretationem omnium ſomniorum & ænigmata intelligere facit.

Si vis habere bonum intellectum ſenſibilis, & non poſſe fieri ebrius: Accipe lapidem qui Amethyſtus dicitur, & eſt purpurei coloris, & melior naſcitur in India, & valet contra ebrietatem, & bonum in ſcibilibus confert intellectum.

Si vis devincere hoſtes, & fugere lites, Accipe lapidem qui vocatur Beryllus, eſt pallidi coloris, lucis tranſparentis, ut lymphæ: Fer tecum & vinces omnes lites, & hoſtes fugabis, reddetque inimicum mitem. In minoribus efficaciam reddit & poteſtatem, ſicut dicit Aaron, etiam dat bonum intellectum in ſcibilibus.

Si vis divinare de furtis, Accipe lapidem qui vocatur Celonites, & eſt purpureus, variique coloris, & invenitur in corpore teſtudinis. Si quis autem hunc lapidem ſub lingua geſtaverit, divinabit & prædicet futura. Verumtamen non habet virtutem niſi lucens primo cum fuerit accenſa, & creſcens monoytes in ultima deſcendente. Sic vult Aaron de virtutibus lapidum & herbarum.

Si

Si vis pacificare tempeſtates, & flumina pertranſire. Accipe lapidem qui vocatur Corallus, & eſt rubeus, aliuſque albus. Et expertum eſt quod ſtatim reſtringit ſanguinem, & portantis pellit ſtultitiam, & perhibet ſapientiam, & hoc à quibuſdam tempore noſtro expertum eſt, & valet contra tempeſtates, & pericula fluviorum.

Si vis incendere ignem. Accipe Criſtallum, & pone ſub juxta circulum ſolis, id eſt, contra ſolem, & appone juxta aliquid combuſtibile, & ſtatim lucente ſole calido eliciet ignem, & ſi cum melle ponatur, lac dabit.

Si vis acquirere ſapientiam & fugere ſtultitiam. Accipe lapidem qui vocatur Chryſolitus, & eſt lucidæ viriditatis, poſitus in auro, pellit ſtultitiam & ſapientiam confert.

Si vis ut ſol appareat ſanguineus. Accipe lapidem qui Eliotropia dicitur, & eſt viridis ſimilis quaſi Smaragdo, & eſt reſperſus ſanguineis guttis. Hanc Eliotropiam appellant Necromantici proprio nomine gemmam Babylonicam, quod ſi ungatur ſucco herbæ ejuſdem nominis, & in vas plenum aquâ mittatur, facit videri ſolem ſanguineum, ſicut ſi videretur eclipſis. Cujus cauſa eſt quod totam aquam ebullire facit in nebulam, quæ inſpiſſando aërem, impedit ſolem, inde niſi quia rubeum in ſpiſſo colore, poſt modicum recedit illa nebula rotando quaſi per guttas pluviæ. Oportet autem ad hoc

hoc ut fiat, quod ſit quoddam carmen ſacrum cum quibuſdam characteribus, & ſicut accepi, Principes divinando quædam prædicant, propter quod templorum Pontifices iſto lapide maxime utebantur in feſtis idolorum. Et jam geſtatum hoc reddit hominem bonæ famæ, & incolumem, & longæ vitæ. Dicitur autem à Philoſophis antiquis quod unctus herba ſui nominis, ut prædiximus, pollet virtute, & inveniuntur plures in Æthiopia, Cypro & India.

Si vis refrigerare aquam bullientem quæ ſtat ſuper ignem. Accipe lapidem qui Epiſtrites dicitur, qui in aqua oppoſitus oculo, Solis radios ſuos igneos emittit: & dicitur ab antiquis Philoſophis & à modernis, quod ſi ponatur in aqua bulliente, ſtatim ceſſabit ebullitio, & poſt modicum refrigeſcet, & eſt lapis rutilans & rubicundus.

Si vis effugere illuſiones omneſque phantaſias, & omnes cauſas vincere. Accipe lapidem qui Chalcedonius dicitur, & eſt pallidus, fuſcus & aliquantulum obſcurus. Si hic perforatur, & cum virtute lapidis qui Seneribus dicitur, collo ſuſpendatur, valet contra omnes phantaſticas illuſiones. Et facit vincere omnes cauſas contra adverſarios vireſque corporis conſervat, & hoc ultimum expertum eſt moderno tempore.

Si vis eſſe gratus & placens. Accipe lapidem qui Chelidonius dicitur. Et eſt niger & rufus,

& de

& de ventre hirundinum extrahitur. Rufus involutus panno lineo vel corio vituli, ſub ſiniſtra aſcella portatus, valet contra inſaniam & antiquosmo rbos & languores, contra lethargicam paſſionem & contra Epidemiam. Evax refert quod iſte lapis hominem facit facundum & gratum, & placentem eum reddit. Niger autem valet contra feras, & iras, & ad finem incepti perducit negotii. Et ſi involvitur in foliis Chelidoniæ, dicitur obfuſcare viſum, & debent extrahi menſe Auguſti, & frequenter duo in una hirundine inveniuntur lapides.

Si vis eſſe victorioſus contra adverſarios. Accipe lapidem qui dicitur Gagates, & eſt diverſi coloris, & dicunt antiqui Philoſophi fuiſſe expertum in Alcide Principe, qui quamdiu eum portavit, ſemper habuit victoriam, & eſt lapis diverſi coloris ſicut pellis capreolæ.

Si vis præſcire futurum aliquod. Accipe lapidem qui vocatur Bena, qui eſt ſicut dens à beſtia, & pone ſub lingua tua, & ſicut Aaron & antiqui Philoſophi dicunt, quamdiu ſic tenueris, ſemper divinando prædices futura, nec aliquo modo errabis divinando.

Si vis ut fiat veſtis incombuſtibilis. Accipe lapidem qui Iſthmos appellatur, qui, ut dicit Iſiodorus, ſimilis eſt croco, & in partibus Hiſpaniæ invenitur, & iſte lapis flabilis eſt propter ventoſitatem in ipſo rarefactam juxta Gades Herculis, & ſi de eo fiat veſtis,

veſtis, nullo modo poteſt uri, ſed de igne nitet. Et hujus ſpeciei dicunt quidam Carbunculum album.

Si vis gratiam habere & honorem. Accipe lapidem qui Tabrices vocatur, & eſt ſimilis cryſtallo. De hoc referunt antiqui Philoſophi, ut Evax & Aaron, quod eloquentiam, gratiam præſtet & honorem, & cum hoc dicitur quod curat omnem hydropiſin.

Si vis fugare phantaſmata & ſtultitiam, Accipe lapidem qui vocatur Chryſolitus, & eſt idem in virtute cum aretico, ut dicit Aaron & Evax in lib. de naturis herbarum & lapidum. In auro poſitus & geſtatus fugat ſtultitiam, & phantaſmata expellit. Sapientiam conferre perhibetur, valet contra timorem.

Si vis judicare opiniones & cogitationes aliorum, Accipe lapidem qui vocatur Beratides, & eſt nigri coloris, & teneatur in ore. Facit etiam geſtantem hilarem & gratioſum apud omnes.

Si vis habere victoriam & amicitiam. Accipe lapidem qui vocatur Nichomar, & eſt idem quod Alabaſtrum, & eſt de genere Marmorum; & eſt albus nitens. Et de hoc fiunt unguenta ad ſepulcra mortuorum.

Si vis ut homo dormiendo tibi dicat quæ fecit. Accipe lapidem qui vocatur Quirim, invenitur lapis iſte in nido upupæ, & eſt lapis proditorum.

Si

Si volueris aliquid ab aliquo impetrare. Accipe tecum lapidem qui vocatur Radianus, & eſt niger tranſlucens, qui cum caput Gallorum datur comedere formicis, invenitur poſt tempora multa in capite galli, & eſt idem quod lapis tonatides.

Si vis facere quod canes neque venatores poſſunt nocere alicui animali quod venantur. Pone coram ipſis lapidem qui vocatur Juperius, & ſtatim id ad lapidem curret. Hic enim lapis invenitur in Lybia, omnes beſtiæ currunt ad iſtum lapidem tanquam ad ſuum defenſorem, prohibet enim ne canes vel venatores noceant eis.

Si vis comburere manus alicujus ſine igne. Accipe lapidem qui vocatur Unices, quem prius diximus principem apii, quod eſt ignis, & eſt ut ignis. Hunc lapidem ſi quis ſtringit fortiter, ſtatim adurit manum, velut comburatur igne materiali: quod eſt mirabile.

Si vis curare melancholiam vel quartanam in aliquo. Accipe lapidem qui dicitur lapis Lazuli, ſimilatur enim colori cœleſti, & ſunt intus corpuſcula aurea: & eſt certum & expertum, quod curat melancholiam & quartanam.

Si vis acuere alicujus ingenium, vel opes augere ſuas, & etiam futura prædicere. Accipe lapidem qui Smaragdus dicitur, & eſt mundiſſimus, tranſlucens, & planus vel flavus eſt melior, & aufertur de nidis frigonum, & confortat & conſervat. Et geſtatus

facit

facit hominem bene intelligere, & memoriam bonam confert. Auget opus deferentis. Et ſi quis ſub lingua ſua eum tenuerit, prophetizabit.

Si vis facere Irim apparere, Accipe lapidem qui vocatur Iris, & eſt albus ad modum chriſtalli, quadratus ſeu cornua habens, ſi iſte lapis ponatur in radios ſolis, ſtatim reflectendo facit apparere Iridem in pariete vel muro, & inveniuntur plures in Sicilia, & in Æthiopia.

Si vis lapidem unum qui nunquam calefiat, accipe lapidem qui dicitur Gallaſia, & eſt habens grandinis figuram & colorem, & duritiem habet adamantis. Si lapis iſte in igne ponitur fortiſſimo, nunquam calefiet, & eſt cauſa quia habet poros ita conſtrictos quod calor ingredi non poteſt corpus lapidis. Dicit etiam Aaron & Evax quod lapis geſtatus mitigat iram, luxuriam & cæteras calidas paſſiones.

Si vis ſcire utrum uxor jaceat cum aliquo alio marito. Accipe Galerites lapidem ſic appellatum, qui eſt idem cum Cantabre, & invenitur in Lybia & Britannia, & eſt duplicis coloris, ſcilicet nigri & crocei, & invenitur glaucus tendens ad palliditatem. Curat hydropiſin, & fluxus ventris confirmat: Et dicit Avicenna, quod ſi iſte lapis teratur & lavetur, ſive lavandus detur alicui mulieri, ſi virgo non ſit, ſtatim urinabit: ſi virgo eſt, non.

Si

Si vis hoſtes ac inimicos devincere. Accipe lapidem qui dicitur Draconites, à capite draconis. Et ſi de vivo lapis extrahatur valet contra omnia venena. Et ferens eum in ſiniſtro brachio omnes hoſtes devincet.

Si vis amorem generare inter aliquos duos. Accipe lapidem qui Echites dicitur, & à quibuſdam dicitur Aquileus, quia Aquilæ in nidis ſuis collocant, purpurei coloris eſt, & invenitur juxta littora Oceani, & aliquando in Perſia, & in ſe ſemper continet alium lapidem qui in ipſo ſonat quando movetur. Fertur ab antiquis Philoſophis quod hic lapis ſiniſtro brachio ſuſpenſus conciliat amorem inter virum & uxorem. Confert prægnantibus, abortum impedit, periculum perterritioni mitigat, & caducis dicitur valere. Et ſicut dicunt Chaldæi ſi in cibo ſit venenum, & lapis prædictus ponatur in eo, prohibet ne poſſit deglutiri cibus ille; & ſi ſubtrahatur, ſtatim deglutitur. Et hoc ultimum, à quodam fratrum noſtrorum ſenſibiliter examinari vici.

Si vis reddere hominem tutum. Accipe lapidem qui Terpiſtrites nuncupatur, in mari generatur, rutilans eſt & rubicundus. Et dicitur in libro Alchorat, quod ſi ante cor geſtatur, hominem reddit tutum, & omnes compeſcit ſeditiones. Dicitur etiam compeſcere locuſtas, volucres, nebulas, grandines, ac tempeſtatem à fructibus terræ. Et eſt expertum à modernis Philoſophis & à qui-

buſdam

buſdam fratrum noſtrorum, quod oppoſitus radio ſolis, radios igneos emittit. Item quod ſi lapis iſte in aquam bullientem ponatur, ſtatim ceſſabit bullitio, & poſt modicum refrigeſcet.

Si vis ut peregrini pergant tuti. Accipe lapidem qui Jacinthus vocatur: multorum eſt colorum. Viridis autem eſt melior, & habet venas rubeas, & vult in argento collocari, & in lecturis quibuſdam dicitur quod ejus ſunt duo genera, aquaticus & ſaphyrinus. Aquaticus flavus eſt albeſcens, ſaphyrinus autem flavus perlucens valde, nihil habens aquoſitatis, & hic eſt melior, & de hoc ſcribitur in lecturis philoſophorum, quod digito vel collo geſtatus reddit peregrinos tutos & gratos hoſpitibus. Et ſomnum provocat propter ſuam frigiditatem, & hoc proprie habet ſaphyrinus.

Si vis ſervari à diverſis caſibus & peſtiferis morſibus. Accipe lapidem qui Orithes vocatur, cujus tres ſunt ſpecies, una nigra, alia viridis, tertia cujus altera pars eſt aſpera, altera plana, & color ejus quaſi ferri lamina eſt, ſed viridis habet maculas albas. Hic lapis geſtatus præſervat à diverſis caſibus & periculis mortis.

Si vis conciliare pacem. Accipe lapidem qui vocatur Saphyrus, qui venit ab oriente in Indiam, & flavus eſt melior, qui non eſt tam lucidus, pacem creat & concordiam: purum & devotum ad Deum animum efficit,

cit, animum confirmat in bonis, & hominem refrigeſcere facit interiore ardore.

Si vis curare virginem. Accipe lapidem qui Saunus vocatur à Sauna Inſula, mentem deferentis conſolidat, alligatus manu parturientis impedit partum, & ipſum continet in ventre. Idcirco prohibetur in re tali, ne lapis iſte mulierem tangat.

In libro numeralium in Aaron & Evax multa ſimilia alia invenies. Modus autem agendi in his in hoc conſiſtit, ut pro effectu bono deferens ſit mundus ab omni corporis pollutione.

Explicit Liber ſecundus.

VIdetur dicere Iſidorus Lycaniam habere in capite lapidem nobiliſſimæ virtutis, & eſt albi coloris, quemque tritum ſi dederis bibere ſtrangurioſis, perfecte ſolvit urinam, & breviter ſanat. Item ſolvit quartanam. Item tollit albuginem oculorum. Item ſi mulier prægnans eum portaverit ſuper ſe, non amittet fœtum. Item valet phthiſicis caro ipſarum cocta & comeſta. Item pulvis ipſarum uſtarum corticibus confert ficubus, & cum aliquibus granis piperis, ſcilicet ficubus & condilomatibus, quæ naſcuntur in ano. Similiter ipſæ crudæ cum corticibus piſtatæ, rumpunt apoſtemata matura.

LIBER TERTIUS

Alberti Magni, de virtutibus animalium quorundam.

CUM ſuperius dictum ſit de quibuſdam effectibus cauſatis virtute lapidum quorundam, & de eorum mirabili efficacia ſive operatione. Nunc dicendum eſt iſto capitulo de quibuſdam effectibus cauſatis à quibuſdam animalibus.

Aquila.	Pellicanus.	Anguilla.
Caſſo.	Corvus.	Muſtela.
Bubo.	Milvus.	Upupa.
Experiolus.	Hircus.	Turtur.
Leo.	Camelus.	Talpa.
Foca.	Lepus.	Merula.

Aquila avis ſatis nota eſt, Chaldæis Vorax dicitur, à Græcis Rimbicus. Refert Aaron & Evax quod mirabilem habet naturam ſive virtutem, quia ſi ejus cerebrum pulveriſetur, & cum ſucco cicutæ miſceatur, ex hoc comedentes, ſtatim ſe capiant per capillos, nec ſe dimittent, donec acceptum portaverint. Hujus autem effectus ratio eſt, quia cerebrum illud calidiſſimum eſt, ita quod generet virtutem phantaſticam obturando meatus per fumum.

Caſſo eſt animal ſatis notum, à Chaldæis vocatur Rapa, Græcis verò Orlago dicitur.

De

De hoc dicit Aaron, quod ſi pedes ejus ab aliquo ferantur, nunquam vexabitur, ſed ſemper progredi appetet. Item geſtans pedes ejus, ſemper vincet, & ab inimicis ſuis timebitur: & dicit quod dexter ejus oculus in corio lupi involutus, reddet hominem pacentem, & gratioſum, & benignum: & ſi ex prædictis rebus fit cibus vel pulvis in cibo alicui datus, multum diligetur ab eo. Hoc autem ultimum tempore noſtro expertum eſt: & ſi prædicta confectio ponatur in fimo, fiunt vermes venenati, de quibus ſi aliquis comederit, ſtatim dormiet & non poterit excitari, donec ſuffumigetur ariſtologia, & maſtiche.

Bubo eſt avis ſatis nota, & Chaldæis Magis dicitur, quæ à Græcis Hiſſopus. Hujus avis mirabiles ſunt virtutes. Si enim cor ejus cum dextro pede ejus ſuper dormientem ponatur, ſtatim tibi dicet quidquid fecerit, & quicquid ab eo interrogaveris, & hoc à noſtris fratribus expertum eſt moderno tempore, & ſi hoc iterum ſibi ponat quis ſub aſcella, nullus canis ei latrabit, ſed obmuteſcet, & ſi conjunctio prædictorum cum anima ſua ſuſpendatur ad arborem, aves congregabuntur ad arborem.

Hircus eſt beſtia ſatis nota, à Chaldæis Erbichi, à Græcis Maſai appellatur. Si ſanguis ejus accipiatur tepidus cum aceto fœnationis ſucco, & ſimilis cum vitro bulliat, reddit vitrum molle ad modum paſtæ, poteritque

projici contra murum vel parietem, nec frangetur: & ſi prædictum compoſitum in vaſe ponatur, & de hoc ungatur facies, res mirabiles & horribiles apparebunt: & videbitur ei quod debeat mori, & ſi prædictum in ignem ponatur, & ibi ſit aliquis caducus appoſito lapide Magnete, ſtatim cadet ad terram ſicut mortuus, & ſi ei detur aqua anguillarum ad potandum, ſtatim curabitur.

Camelus eſt animal ſatis notum, à Chaldæis enim Cyboi, à Græcis Iphim vocatur. Si ejus ſanguis ſuper caput ponatur in pelle ſtellionis ſtellis lucentibus, videbitur quod ille ſit Gigas, & quod ejus caput ſit in cœlo. Et hoc dicitur in libro Alcorath ab Hermete. Et ſimiliter ſi ex hoc aliquis comederit, ſtatim exibit de ſenſu. Et ſi lucerna ejus ſanguine uncta accendatur, videbitur quod omnes homines circumſtantes habent capita cameli, dum tamen non ſit lumen extrinſecum alterius candelæ.

Lepus eſt animal ſatis notum, à Chaldæis Veterellum, à Græcis vero Onolofam nuncupatur. Hujus virtus mirabilis refertur. Dicit Evax & Aaron quod pedes ejus juncti cum lapide, alias capite merulæ, movent hominem ad audaciam, ita quod non timet mortem. Et ſi ſiniſtro brachio alligatur, perget quo voluerit, & tutus redibit abſque periculo. Et ſi cani detur ad comedendum cum corde Muſtelæ, de cætero non vociferabit etiam ſi interficeretur.

Expe-

Experiolus eſt animal ſatis notum. Unguis ejus ſi comburatur & conſolidetur, & detur in cibo alicui equo, non comedet per triduum, & ſi prædictum ponatur cum aliquantulo terebentinæ, erit lucidum, & ſecundo fiet quaſi nubes & ſanguis; ſi projiciatur in aquam aliquantulum, fiet tonitruum horribile.

Leo eſt animal ſatis notum, à Chaldæis Aalamus vocatur, à Græcis Beruhr. Si ex ejus pelle fiant corrigiæ, percinctus ex illis non timebit hoſtes: & ſi de ejus carnibus quis comederit, & de ejus aqua biberit, per tres dies curabitur à febre quartana, & ſi de ejus oculis ſub aſcella ponatur vel portetur, omnes beſtiæ inclinato capite verſus ima terga fugam dabunt.

Foca eſt piſcis ſatis notus, à Chaldæis Daulaubur, à Græcis Labor dicitur, hic piſcis eſt diverſæ naturæ. Si enim lingua ejus accipiatur, & cum aliquantulo de corde ejus in aqua ponatur, pro certo congregabuntur ibi piſces, & ſi ſub aſcella portaveris, nullus judicio contra te victoriam habere poterit, judicem benignum & ſuavem habebis.

Anguilla eſt piſcis ſatis notus. Hujus autem (prout vult Evax & Aaron) mirabiles ſunt virtutes. Si enim moriatur defectu aquæ corpore integro remanente, & accipiatur acetum forte, & miſceatur ſanguini vulturis, & ponatur ſub fimo in aliquo lo-

eo, omnes quotquot fuerint, recuperabunt vitam, ſicut prius habuerunt. Et ſi vermis ejus anguillæ extrahatur, & in prædicta confectione ponatur per menſem unum, vermis mutabitur in anguillam nigerrimam, de quâ ſi quis comederit, morietur.

Muſtela eſt animal ſatis notum. Si cor hujus animalis comedatur, adhuc eo palpitante, facit ſcire futura, & ſi de corde cum oculis & lingua canis aliquis comedet, ſtatim amittit vocem.

Upupa eſt avis ſatis nota, à Chaldæis Bori dicta, à Græcis Iſon. Oculi ejus geſtati faciunt hominem groſſum, & ſi oculi ejus ferantur coram pectore, omnes ejus inimici pacificabuntur, & ſi caput ejus in burſa tua habueris, non poteris decipi ab aliquo mercatore, hoc autem expertum eſt à fratribus noſtris hodie.

Pellicanus eſt avis ſatis nota, à Chaldæis Voltri dicitur, à Græcis Iphilari. Hujus virtus mirabilis eſt. Si ejus pulli interficiantur, dum tamen eorum cor non frangatur, & de ejus ſanguine accipiatur, & tepidus in ore pullorum ponatur, ſtatim ſumunt vitam ſicut prius. Si ſuſpendatur ad collum alicujus avis, ſemper volabit donec cadat mortua, & dexter ejus pes ſub calido poſt tres menſes ex humore & calore quem avis habet, generabitur viva, & movebit ſe, & hoc teſtatur Hermes in libro Alchorat. & Plinius.

Corvus eſt avis ſatis nota, & eſt ejus virtus

tus mirabilis, ut recitat Evax & Aaron. Si enim ejus ova coquantur, & iterum in nido ponantur, ſtatim corpus procedit ad mare rubrum in quadam inſula, ubi eſt Alodricus, vel Alodrius ſepultus, & affert lapidem quo tangit ova ſua, & ſtatim fiunt cruda ſicut prius erant. Mirabile eſt ova cocta ſuſcitare. Si autem lapis iſte ſupponatur in annulo, ſupponendo ſibi folium lauri, & tangatur vinctus catenis, vel janua clauſa, ſtatim ſolvetur vinctus, & aperietur janua. Et ſi lapis iſte ponatur in ore, dat intellectum omnium avium. Unus autem lapis eſt Indicus, quia in India reperitur, ſecundum ſapientes quoſdam, & aliquando in mari rubro, varii coloris eſt, & facit omnes iras obliviſci, ſicut ſupra diximus.

Milvus eſt avis ſatis nota, à Chaldæis Biſicus, à Græcis Melos dicitur, ſi caput ejus accipiatur, & feratur ante pectus, dat amorem & gratiam omnium hominum & mulierum, ſi ſuſpendatur ad collum gallinæ, nunquam ceſſabit decurrere donec deponat illud, & ſi ex ejus ſanguine inungatur criſta galli, de cætero non cantabit: in genibus ejus invenitur quidam lapis, ſi inſpiciatur ſubtiliter, qui ſi ponatur in cibo duorum inimicorum, fient amici, & erit optima pax inter eos.

Turtur eſt avis ſatis nota, & à Chaldæis dicitur Mulona, à Græcis Pilax. Si cor hujus avis feratur in corio lupi, nunquam de

cætero habebit ferens appetitum luxuriandi, & ſi cor ejus comburatur, & ſupra ova alicujus avis ponatur, nunquam de cætero ex eis poterit generari fœtus. Et ſi pedes ejus ſuſpendantur ad arborem, de cætero non fructificabit, & ſi ejus ſanguine cum aqua talpæ decoctæ ungatur locus piloſus & equus, cadent nigri capilli.

Talpa eſt animal ſatis notum, hujus animalis virtus mirabilis eſt, ut refertur à Philoſophis. Si pes ejus involvatur in folio lauri, & ponatur in ore equi, ipſe fugiet præ timore, & ſi in nido alicujus avis ponatur, nunquam ex ovis illis exibit fœtus, & ſi talpas fugare volueris, pone eam in aula, & ſulphur vivum accenſum, & ibi conveniunt omnes aliæ talpæ, & aqua decoctionis ipſius dealbat equum nigrum.

Merula eſt avis ſatis nota, & eſt ejus virtus mirabilis, quia ſi pennæ alæ dextræ ejus ſuſpendantur in medio domus cum filo rubro, quod nunquam fuerit in uſu, nullus poterit dormire in illa domo donec deponatur. Et ſi cor ejus ponatur ſub capite dormientis, & ab eo quæratur, omnia dicet quæ fecerit alta voce; & iterum ſi in aqua putei ponatur cum ſanguine Upupæ, & commiſceatur, poſtea ungantur inde tempora alicujus, ſtatim infirmatur uſque ad mortem. Modus agendi omnium prædictorum ut effectus bonus ſit & utilis, eſt quod fiat ſub Planeta benevolo, ut Jove &

Venere. Et in malo effectu ſub planeta malevolo, ut Saturno & Marte. Et hoc eſt ſcilicet diebus eorum, & horis ſuis. Si quis autem hæc recte fecerit, proculdubio veritatem & utilitatem & maximam efficaciam inveniet in prædictis, ſicut ſæpius una cum noſtris fratribus; temporibus noſtris ſum expertus & vidi.

Conſideret igitur hic qui prædictorum copiam invenerit, poſſidere vel dominium efficaciam & virtutem, utrum ſe habeant in effectu bono ſeu ſui contrario, quod bona ſub benevolo planeta experiantur, & mala ſub malevolo, & inveniet quod dictum eſt. Nam ſi in ſuis contrariis fierent, ut bonus effectus in ſigno malevolo, vel è contra, impediretur virtus & effectus ejus propter ſuum contrarium, & ſic bonus & vera vilipenderent. Videmus enim quamplurimos falli in certis ac veris, qui ſi ſignorum vel temporum qualitates agnoſcerent, & cuſtodirent, in ſupradictis voluntatem conſequerentur ad effectum.

Expliciunt Secreta aliqua Alberti Magni de Colonia, ſuper naturis, virtutibus, & efficacia Herbarum, Lapidum & Animalium quorundam.

Videtur dicere Iſidorus, quod cinis ranæ magnæ ſuper ſe portatus à Zona, valde retinet fluxum menſtruorum, & in probatione ſi ligetur ad collum gallinæ, non exibit ſanguis ex ea, vel ex alio animali. Item diſtemperatus cum aqua,

ſi ea ungatur, non amplius naſcentur inde pili.

SI quis cor canis in ſiniſtra parte portaverit, omnes canes obmuteſcent.

Si quis oculum dextrum lupi ligaverit in manica dextra hominis, neque canes ei nocere poſſunt.

Et ut omnia quæ ſuperius dicta ſunt, & etiam dicentur inferius, qui aſtrorum peritiam non habent, ad effectum ſui deſiderii facilius poſſint accommodare. Primo notabis, quod hora ſumitur dupliciter, videlicet æqualis, & inæqualis. Hora æqualis, eſt hora horologii, quæ ſemper æqualis exiſtit. Inæqualis autem conſideratur ſecundum quod dies majorantur vel minorantur: nam ſemper Aſtrologi conſiderant tempus quo Sol ſtat ſuper horizontem ſuum, & illud vocant diem vel arcum diurnum, & vice verſa noctem. Id autem tempus quod diem appellant, in partes dividunt duodecim æquales, quæ ſunt horæ ejuſcemodi diei, & quicquid de die dicitur, de nocte oppoſito modo intelligas. Et ut clarius percipias, ponamus quod Sol emergat horizontem, hora octava horologii, habemus uſque ad occaſum 17. horas horologii, quas multiplicemus per 60. prout 60. ſunt minuta cujuſque horæ horologii, & habebimus nongenta ſexaginta minuta, quæ dividamus per 12. prout 12. ſunt horæ diei, applicando cuilibet horæ ſuam portionem, & ha-

habebimus 80. minuta hora qualibet : ergo hora talis diei habebit 80. minuta, quæ capiunt horam unam, & unum tertium horæ horologii. Et toto illo tempore conſiderabitur dominium planetæ illius horæ, quemadmodum infra ſcripta tabula demonſtrabit. Quælibet autem hora ſuæ noctis non habebit niſi 40. minuta. Quod ſic de reliquis ſuo modo intelligas : ſecundum videlicet Solis ortum ſuper terram, quia non ea hora quæ media eſt inter noctem & diem dies dicitur, ſed dies proprie intelligitur cum Sol videri poteſt. Cum ergo voles cujuſque planetæ dominium conſiderare, nam unaquaque hora quilibet planeta ſuum habet dominium, horas ipſas ſupra ſcripto modo conſiderabis, & ſic poteris ad finem propoſiti pervenire. Conſideratur etiam diei initium à prima hora præcedentis diei poſt meridiem, & ſic dividatur dies Dominicus in duas partes æquales, & ſic duodecim horas divide in duas : erit ergo 18. dimidium diei, & prima hora ſequens erit initium diei Lunæ.

DE Aſtris & planetis rerum, ſcias quod dies Dominicus habet aſtrum ſuum ſub Sole.

Dies Lunæ habet aſtrum ſuum ſub Luna.

Dies Martis habet aſtrum ſuum ſub Marte :

Dies Mercurii habet aſtrum ſuum ſub Mercurio.

Dies Jovis habet aſtrum ſuum ſub Jove.

Dies Veneris habet aſtrum ſuum ſub Venere.

Dies Sabbathi habet aſtrum ſuum ſub Saturno.

Nota quod omnis actus fieri debet ſub ſuo planeta. Et melius eſt, ſi in proprio die illius planetæ, & in ipſius hora propria fiat, ut verbi gratia:

Sub Saturno, vita, ædificium, doctrina, mutatio.

Sub Jove, honor, optatum, divitiæ, indumentum.

Sub Marte, bellum, carcer, matrimonium, inimicus.

Sub Sole, ſpes, lucrum, fortuna, hæres.

Sub Venere, amicus, vel ſocietas, via, amica, peregrinus.

Sub Mercurio, ægritudo, amiſſio, debitum, timor.

Sub Luna, palatium, ſomnum, mercatum, furtum.

De horis dierum & noctium.

ET primo de horis diei dominicæ; hora ejus 1. Sol, 2. Venus, 3. Mercurius, 4. Luna, 5. Saturnus, 6. Jupiter, 7. Mars, 8. Sol, 9. Venus, 10. Mercurius, 11. Luna, 12. Saturnus.

Noctis vero 1. ejus hora Jupiter, 2. Mars, 3. Sol, 4. Venus, 5. Mercurius, 6. Luna, 7. Satur-

turnus, 8. Jupiter, 9. Mars, 10. Sol, 11. Venus, 12. Mercurius.

Diei Lunæ prima ejus hora Luna, 2. Saturnus, 3. Jupiter, 4. Mars, 5. Sol, 6. Venus, 7. Mercurius, 8. Luna, 9. Saturnus, 10. Jupiter, 11. Mars, 12. Sol.

Noctis vero prima ejus hora Venus, 2. Mercurius, 3. Luna, 4. Saturnus, 5. Jupiter, 6. Mars, 7. Sol, 8. Venus, 9. Mercurius, 10. Luna, 11. Saturnus, 11. Jupiter.

Diei Martis prima ejus hora Mars, 2. Sol, 3. Venus, 4. Mercurius, 5. Luna, 6. Saturnus, 7. Jupiter, 8. Mars, 9. Sol, 10. Venus, 11. Mercurius, 12. Luna.

Noctis vero diei Martis prima ejus hora Saturnus, 2. Jupiter, 3. Mars, 4. Sol, 5. Venus, 6. Mercurius, 7. Luna, 8. Saturnus, 9. Jupiter. 10. Mars, 11. Sol, 12. Venus.

Diei Mercurii prima ejus hora Mercurius, 2. Luna, 3. Saturnus, 4. Jupiter, 5. Mars, 6. Sol, 7. Venus, 8. Mercurius, 9. Luna, 10. Saturnus, 11. Jupiter, 12. Mars.

Noctis vero Mercurii prima ejus hora Sol, 2. Venus, 3. Mercurius, 4. Luna; 5. Saturnus, 6. Jupiter, 7. Mars, 8. Sol, 9. Venus, 10. Mercurius, 11. Luna, 12. Saturnus.

Diei Jovis prima ejus hora Jupiter, 2. Mars, 3. Sol, 4. Venus; 5. Mercurius, 6. Luna, 17. Saturnus, 8. Jupiter, 9 Mars,

9. Mars, 10. Sol, 11. Venus, 12. Mercurius.

Noctis vero Jovis prima ejus hora Luna, 2. Saturnus, 3. Jupiter, 4. Mars, 5. Sol, 6. Venus, 7. Mercurius, 8. Luna, 9. Saturnus, 10. Jupiter, 11. Mars, 12. Sol.

Diei Veneris prima ejus hora Venus, 2. Mercurius, 3. Luna, 4. Saturnus, 5. Jupiter, 6. Mars, 7. Sol, 8. Venus, 9. Mercurius, 10. Luna, 11. Saturnus, 12. Jupiter.

Noctis vero Veneris prima ejus hora Mars, 2. Sol, 3. Venus, 4. Mercurius, 5. Luna, 6. Saturnus, 7. Jupiter, 8. Mars, 9. Sol, 10. Venus, 11. Mercurius, 12. Luna.

Diei Sabbathi prima ejus hora Saturnus, 2. Jupiter, 3. Mars, 4. Sol, 5. Venus, 6. Mercurius, 7. Luna, 8. Saturnus, 9. Jupiter, 10. Mars, 11. Sol, 12. Venus.

Noctis vero Sabbathi prima ejus hora Mercurius, 2. Luna, 3. Saturnus, 4. Jupiter, 5. Mars, 6. Sol, 7. Venus, 8. Mercurius, 9. Luna, 10. Saturnus, 11. Jupiter, 12. Mars.

Et nota quod Jupiter & Venus boni ſunt, Saturnus & Mars mali. Sol vero & Luna mediocres. Mercurius autem cum bonis bonus, & cum malis malus.

Ejuſdem Alberti Magni Libellus, de Mirabilibus Mundi feliciter incipit.

POſtquam ſcivimus, quod opus ſapientis eſt facere ceſſare mirabilia rerum, quæ apparent in conſpectu hominum, quamvis varia,

varia, quamvis diverſa & plurimum admiranda, non ceſſavimus inquirere ſcripta auctorum, donec ſufficienter appareret magna pars operum mirabilium. Tandem autem occurrit nobis res ultimæ mirabilitatis & extraneitatis, apparentis tamen in ſenſibus omnium hominum ferè & vulgarium, & eſt ligatio hominum & virtutum ipſorum per incantationes, per Characteres, per veneficia, & ſermones, & multa valde vilia, quæ penitus non videntur poſſibilia, nec habentia cauſam ſufficientem, & cum diu ſollicitaverim animum ſuper hoc, invenimus ſermonem probabilem Avicennæ 6. Naturalium. Quod, *hominum animis ineſſet quædam virtus immutandi res, & quando res aliæ eſſent obedientes ei, quando ipſa fertur in magnum amoris exceſſum aut odium, alicujus talium.* Cum igitur anima alicujus fertur in grandem exceſſum alicujus paſſionis, invenitur experimento manifeſto quod ipſa ligat res & alterat ad idem, quod deſiderat, & diu non credidi illud. Sed poſtquam legi libros Necromantiæ & libros imaginum, & magicos, inveni, quod affectio animæ hominis eſt radix maxima omnium harum rerum, ſeu propter grandem affectionem alteret ſuum corpus & alia quæ intrudit, ſive propter dignitatem ejus obediant ei res aliæ viliores, ſeu cum tali affectione exterminata concurrat hora conveniens, aut ordo cœleſtis, aut

aut alia virtus, quæ quamvis facit illud, reputavimus tamen animam facere. Jam publicum & verificatum eſt, quod ligationes hominum, incantationes & promotiones ad iram, odium, amicitiam, detrimentum, & gaudium, ſunt conſequentes ad grandes effectiones, & tu vides vulgus, quod ſecundum naturam fertur ſuper res, quod timet hæc omnia, & appetit benedictiones maxime electarum & dignarum perſonarum, & abhorret maledictiones & blaſphemias illarum, tanquam in eis ſit virtus, aut ſaltem qualitati mali virtus annexa.

Qui ergo vult ſcire hujus rei ſecretum, ut operetur illud & diſſolvat: ſciat quod ligare poteſt omnis omnia, quæ veniunt in grandem exceſſum & ultimatum illius, in tantum ut ſuperet eos quos ligat, & debet facere hoc in illa hora in qua invadit eam ille exceſſus, & cum illis rebus quas ſibi dictat tunc anima. Ipſa enim anima cum ſic eſt avida rei quam vult operari, accipit ex ſe ſuper horam majorem & meliorem, quæ eſt ſuper res magis convenientes ad illud. Ligari autem poſſunt quicunque minus ſunt invicem fervidi in amore qui ſit invicem, ligans eos in odio, tunc enim anima ligantis non poteſt ſubvincere animum illorum, cum fortius trahant in contrarium quam ipſa. Solvunt ergo omnia hæc illi qui ſunt fortiores in contrario, quam fuerit ligans eos, & hoc in illa hora in qua invadit ipſum appetitus

titus extraneus, ut cum illis rebus quas tunc dictat animus, quia ſemper major exceſſus animorum ligat, & prohibet alium minorem, aut ſolvit. Scimus ergo ex hoc quod quidam ligari non poſſunt cum ſint magis fervidi invicem quam aliquis contra eos. Quidam autem ſolvi non poſſunt, cum ſit eis ligantis maximus exceſſus. Quidam autem ligantur & ſolvuntur: quia inveniuntur quidam maximi exceſſus in ligando, quidam vero maximi in diſſolvendo. Et univerſaliter ille ligat quia avidus ardet, & ille ſolvit qui fortius capitur ſive intendit ſe in illud. Faciunt ergo hoc cum his quæ ſibi dictat animus & tunc illa hora & ad illos, & tu nota illud ad omnia maleficia diſſolvenda ſive facienda. Nullus autem eſt aptus in hoc, niſi quem inſtigat ad hoc faciendum inclinatio naturalis, aut aliquid urgens in eo. Unde ſunt magis apti ad hoc quam alii. Et cum certificatum fuit nobis hoc, ſcimus & hoc ſententia characterum quinque & ſermonum efficaciam ad omnem rem quam vult homo, & ſunt ſecundum duos modos, uno ſcilicet jam dicto, ſeilicet ſecundum affectionem animi operantis ipſius horæ in qua fiunt, & ipſius virtutis cœleſtis quæ tunc eſt. De neceſſitate habent efficaciam ad ſimilitudinem animi & movent quod animus deſiderat. Sunt ergo characteres quinque ſermonis, & omnia juvantia opus animæ. Ipſa ſunt quæ animus in illa hora, qua for-

fortius illa appetit, dictat fieri. Quicquid igitur dictat animus fortiſſimè amantis in illa hora de loquelis, de characteribus quinque, eſt habens efficaciam ad illud.

Similiter quicquid inſtigat animus ferociter audientis in illa hora, ſive cum conſilio & deliberatione, eſt habens efficaciam deſtructionis & diſcordiæ, & acquirit illud ab anima facientis, ſeu ab hora, ſeu à ſigno cœleſti illius horæ, quia penitus omnis hora, in qua tractatur alicui malum, eſt illi mala & nociva, & quod in ea fit contra ipſum, offendit eum, & è contra in bonis. Et tu nota iſtud pro grandi ſecreto omnium quæ voles agere, & pro te, & pro aliis. Omnia enim ſuper quæ arripit animus inebriatus, deſtitutio rei ſunt acquirendæ ad illud, ſecundum deſideria animæ operantis, & ſecundum hoc eſt artificium characterum quinque ſermonum virtuoſorum mirabilium, & iſte modus, in quo inventa eſt efficacia ipſorum omnium. Mens enim affectat grandi deſiderio: ſicut arripitur ſuper multiplices ſermones, colores, & geſtus: ſic & ſuper characteres, & figuras diverſas. Unde nec ad idem inveniuntur ſimiles omnes characteres, ſecundum diverſam affectionem facientium eas. Et ideo parum aut nihil niſi auctori earum, aut ei qui jam incipit inebriari in illo; ac ſi eſſet auctor illorum, proſunt, aut ſaltem niſi ſcribatur ſuper eis intentio operatoris ipſorum. Secundus vero

modus

modus characterum quinque, eſt intendens ſecundum viam naturalem & probabilem. Et habet quandam ſimilitudinem cum eo, quod quærit operans, ut, ſi velit amorem, facit figuras amplectentes ſe invicem immixtas, invicem aſpicientes, ſe humiliantes, in ſe invicem applicatas. Sicut anima deſiderat res applicare & unire per amorem. Et ſi deſiderat odium per eas, facit ipſas avertentes ſe invicem, diſpares, diſſolutas, in contrarium trahentes, quia ſemper ipſæ correſpondent intentioni operantis eas, cujus ſunt effigies & veſtigia animæ, & ſic anima quæ magis deſiderat rem ipſam, facit eas magis efficaces, & magis habentes ſimilitudinem ejus quod quærit. Nam ſcientia eſt factio characteris, ſunt enim quinque male dearticulatæ, quinque vero ſunt characteres bene complexæ & dearticulatæ, unde virtuoſiores ſunt & magis ſcientiales atque rationales ſunt quinque characteres, ſimiliter eſt operatio in omnibus quæ deſiderat anima forti deſiderio. Omnia enim quæ tunc agit illud intendens movent, & efficaciam habent ad id, quod anima deſiderat, & ſecundum hoc verificantur experimenta multa auctorum, quæ cum audiuntur, reputantur incredibilia omnino. Cum tamen ſcientia ſit certiſſima, quod nulli Philoſophorum, quorum intentio erat differenter propria laus, & bona fama fuit voluntas ſcribendi etiam tantæ familiaritatis quantæ

eſſent

eſſet illud quod invenitur in libris ſuis , ſi veritatem non haberet , quod dicunt , potius vituperationem viderentur intendere , quam bonam famam. Et manifeſte videmus , quod nullus etiam ignorans ſcribit libenter rem manifeſtæ familiaritatis : & cum ipſi eſſent Philoſophi , & grandis inveſtigationis , & nulla neceſſitas cogeret eos , quomodo ſcripta poſſunt eſſe ita manifeſte familiaria ut multis videtur , in quorum animam non poteſt cadere , in his talibus aliquid virtutis non poteſt exiſtere , quia non potentes videre cauſam , negant ſenſibilem effectum cum eſſet materia ad fiendum , ſcilicet quia videntes effectum eſſe inquirendi cauſa , & hoc eſt quod meditavi in diverſis tractatibus 5. characterum & ſermonum. Particulares autem characteres 5. Sermones ad unum quodque fiendum & deſtruendum ex libris diverſis aggregabo inferius. Tu vero ex his habes viam ad totam hanc excogitationem.

Poſtquam Philoſophis certificatum eſt, quod univerſæ ſpecies rerum movent & inclinant ad ſeipſas , quoniam poſtquam in eis virtus activa rationabilis eſt quod agant & movent tam ad ſeipſas quam ad diverſas , & ignis movet ad ignem , & aqua ad aquam. Et jam dicit Avicenna , quod dum aliquid ſtat in ſale diu, fit ſal , & ſi quid ſtat in loco fœtido, fit fœtidum, ſic quod ſtat cum aliquo audace fit audax , & ſi cum timido timidum ,

& ſi

& ſi quod animal ſtat cum hominibus, fit humanum & domeſticum, & generaliter verificatum ex ratione & experimento, quod omnis natura movet ad ſuam ſpeciem, & fit eorum ſpecificatio nota in qualitatibus primis, & ſimiliter in ſecundis, & fuit idem in tertiis, & in omnibus diſpoſitionibus nihil quod non moveat ad ſe ipſum, ſecundum totum poſſe ſuum. Et hoc fuit radix & principium ſecundum operum ſecretorum, & tu non avertas oculos tuæ mentis.

Poſtquam fuit inſitum mentibus philoſophorum iſtud, & ipſi invenerunt diſpoſitiones entium naturalium, quia certo ſciverunt, quod quibuſdam entibus eſt inſita grandis frigiditas, quibuſdam cum hoc grandis audacia, quibuſdam grandis iracundia, quibuſdam grandis timor, quibuſdam innata ſterilitas, quibuſdam innatus ardor amoris, quibuſdam innata aliqua alia virtus. Aut ſecundum totam ſpeciem, ſicut leoni eſt audacia innata & victoria. Aut ſecundum individuum, ſicut meretrici ineſt audacia, non per ſpeciem humanam, ſed per individuum. Venerunt ex hoc ſuper grandia mirabilia, & ſuper ſecreta operabilia. Et qui non intellexerunt mirabilitatem illam, & unde poſſet in illud, neglexerunt, & abjecerunt omnia in quibus fuit labor & ingenium Philoſophorum, quorum fuit intentio propria laus in poſteris, ut falſidica tam grandia redderent in ſcriptura.

Non

Non eſt ſecretum neque occultum gentibus, quomodo omne ſimile adjuvet & confirmet ſuum ſimile, diligat & moveat, & amplectatur illud. Et medici jam dixerunt & verificaverunt illud pro parte ſua, & dixerunt quod hepar juvat ad hepar, & quodlibet membrum ſuum ſimile. Et Alchimiſtæ ſciverunt illud veritate manifeſta, quomodo natura ſimilis ſubingreditur & gaudet ſuo ſimili, & congaudet illi & condolet: & omnis ſcientia jam verificavit illud in ſuis ſimilibus, & tu nota illud diligenter, quoniam ſuper hoc videbitur grandis mirabilitas operum.

Jam eſt verificatum & poſitum in mentibus omnium, quod omnis ſpecies naturalis, & quod omnis natura particularis vel generalis habet amicitiam & inimicitiam naturalem ad aliquam aliam. Et omnis ſpecies habet aliquid timendum horribile & inimicum, & deſtructivum. Similiter aliquid exultans, lætificans & concordans, & per naturam: ut ovis lupum, & ipſa cognoſcit non ſolum vivum, ſed mortuum, non ſolum per viſum, ſed per guſtum: & lepus canem, & catta murem, & omnia quadrupedia timent leonem, & omnia volatilia timent aquilam, & omnia animalia timent hominem, & eſt inſitum naturâ unicuique iſtud, & quædam habent iſtud ſecundum totam ſpeciem, & ſecundum omne tempus: & quædam habent iſtud ſecundum individuum ſolum, & ſecundum

dum certum tempus: & omnium eſt certificatio, quod quæ odiunt ſe ſecundum vitam, quod partes eorum, imo pili & omnia odiunt ſe invicem poſtquam moriuntur. Unde pellis ovis conſumitur à pelle lupi, & timpanum de pelle lupi facit obmuteſcere illud de pelle ovis, & ſic eſt in omnibus aliis. Et tu nota iſtud propter magnitudinem rerum ſecretarum quæ ex eodem proveniunt.

Et eſt apertum omnibus, quod homo eſt finis omnium naturalium, & quod omnia naturalia ſunt per ipſum, & ipſe vincit omnia, & naturalia habent inſitam naturalem obedientiam ad ipſum hominem, & quod homo eſt plenus omni mirabilitate, & quod in ipſo unt omnes conditiones, ſcilicet diſtemperantia in caliditate & frigiditate, temperata in omni eo quod vis, & in eo ſunt omnes virtutes rerum, & ad humanam naturam favent, & obediunt dæmones, & in ipſo humano corpore operantur omnes ſecretæ artes, & omne mirabile exit ex ipſo: ſed non habet homo omnia ſecundum idem tempus, ſed in diverſis temporibus & in diverſis individuis, & ideo invenitur efficacia omnium rerum hypocritorum verborum vegetabilium. Sed quæ ſunt partis ad partem, non declarantur ratione, ſed experientia. Quantum autem ratio poterit videre & comprehendere notabis, & quantum per tuam experientiam experiri poteris adjunge, & intellige hoc quod contra hominem eſt.

Non

Non poteſt aliquis dicere, quod omnis res non ſit plena mirabilitate, & neſcis quæ majoris, quando diligenter certificat; ſed unuſquiſque vilipendit rem de qua nihil ſcit, & res nihil meruit in illo. Nam unaquæque res habet de calido & frigido, quod eſt ſibi proprium, & ignes non ſunt mirabiliora quam aquæ, ſed ſunt diverſa & alterius modi. Et piperis non ſunt mirabiliora quam juſquiami, ſed alia. Et qui credit quod mirabilitas rerum exit à calido & frigido, non poteſt dicere quid in omni re ſit grande mirabile, cum unaquæque res habeat de calido & frigido quod ſibi convenit. Et qui credit quod mirabilitas rerum ſit in ſtellis & aſpectibus, à quibus contrahunt res proprietates mirabiles & occultas, ſcire poteſt quod omnis res habet propriam figuram cœleſtem ſibi convenientem, ex qua etiam provenit ei mirabilitas in operando. Nam omne quod incipit ſub determinato aſcendente, & influentia cœleſtis, incipit & contrahit nonnunquam propriam efficaciam pariendi & operandi rem mirabilem. Et qui credit quod mirabilitas rerum exeat per amicitiam, ut emptio, non poteſt etiam denegare inimicitiam. Et univerſaliter ſecundum omnem modum philoſophandi, res unaquæque eſt plena miſerabilibus. Et poſtquam ſciverunt hoc Philoſophi, inceperunt experiri & edicere quid in rebus eſt.

Plato verò dicit in libro Regiminis, quod qui

qui non fuerit opifex Dialecticæ ex qua fit pronus & elevatur intellectu agilis & expeditus, & qui non eſt eruditus in ſcientia naturali in qua declarantur mirabilia calida & frigida, in qua aperiuntur proprietates cujuſlibet entis in ſe, & qui non fuerit doctus in ſcientia Aſtrologiæ, & in aſpectibus & figuris ſtellarum, ex quibus eſt unicuique eorum quæ ſunt ſublimia, virtus & proprietas, & qui non fuerit doctus in ſcientia necromantiæ qua manifeſtantur ſubſtantiæ immateriales, quæ diſpenſant & adminiſtrant hominem, quod eſt in rebus ex bono & malo non poterit intelligere, nec verificare omnia quæ Philoſophi ſcripſerunt, nec poterit certificare omnia quæ apparebunt ſenſibus hominum, & evadet cum triſtitia animi, quoniam in illis rebus eſt mirabilitas omnium quæ videntur.

Credit purus Aſtrologus quod tota mirabilitas rerum & radix experimentorum & omnium quæ extant à rebus quando invicem conferuntur, eſſent à figura cœleſti, quam contrahit unumquodque hora ſuæ interemtionis & generationis, & verificabit in omnibus quæ expertus eſt.

Invenit quod concurſus rerum ſecundum curſum ſtellarum, & victoria, & gaudium, & triſtitia pendeat exinde, & judicatur per illud, & ideo juſſit omnia fieri in certis diebus & in certis conjunctionibus & ſeparationibus, in certis aſcenſionibus, ſed hy-

pocritos ſermones, præparationes herbarum non potuit eorum ingenium expandi ad omnes verificationes Philoſophorum.

Credidit magna pars Philoſophorum & Medicorum quod tota mirabilitas experimentorum & mirabilium exiret à rebus naturalibus, quando in lucem conferunt per calidum & frigidum, ſiccum & humidum, & ſignificaverunt has quatuor qualitates, & poſuerunt ipſas radices omnium mirabilium, & eorum mixtio exigit ad omne mirabile, & verificaverunt illud in ſuis operibus, & juſſerunt ſua experimenta incidere & componi per iſtam, & tenere per has res & verificari. Et cum invenerunt multa experimenta Philoſophorum, non potuerunt ea verificare per calidum & frigidum, imo magis ex hoc erat contrarium, accidit eis, mirari inceſſanter & triſtari, & negant plerumque illud, etſi videant id.

Plato, Ariſtoteles, & legitimi & omnes qui intenderunt ſuper ultimum Philoſophiæ, eam certificarunt quod mirabilitas exit à rebus ſecundum modos valde diverſos. Plerunque per utilitates cœleſtes impreſſas, plerunque per caliditatem & frigiditatem, & plerunque per virtutes dæmonum; & necromanticorum, plerunque per virtutes alias innatas rebus cum ſuis formis ſubſtantionalibus, plerunque per relationem, quæ ſunt rerum ad invicem. Unde redduntur incomprehenſibilia rerum mirabilia, ſicut dicit auctor.

tor. Plerunque per ſe faciunt unum, per accidens faciunt contrarium, plerunque directe, plerunque indirecte. Merito ergo Plato dixit, quod qui non fuerit valde ſolers in Dialectica, & doctus in virtutibus rerum naturalium, ſimiliter in ſignis ſtellarum & necromanticarum virtutum, non videbit rationabilitatem mirabilium, nec ipſe ſciet ea, & non communicabit theſaurum Philoſophorum.

Scio igitur, quod omnis res habet ex caliditate & frigiditate: quod ſignum eſt, ex quo facit rem efficacem aliam per accidens directe & indirecte, & habet unamquamque virtutem ex ſtellis & figura ſuæ generationis quam agit in mobilitate, conſtructione & convenientia cum aliis, & tamen unaquæque res habet virtutes ſibi cognatas, per quas unaquæque res eſt principium mirabilis effectus.

Cum ergo hoc quod omnis natura movet ad ſuum ſimile, poteſt imaginari de mirabilitate effectuum, quodvis ad omne operandum, & verificabis ad omnia quæ audies, & medicinalia, & magica, & necromantica, ſecundum diverſum modum tuæ excogitationis & ſolertiæ, & intromittam te ſuperficialiter, ut te ipſum adjuves & præpares ad recipienda, quæ dicam aggregata & collecta ex Philoſophis & diverſis antiquis. Habeto ergo iſtud in mente tua, & quantum eſt per ſe res calida adjuvat in paſ-

ſionibus frigidis, & eſt experimentum in eis, & non competit calidis niſi per accidens, aut indirecte, quod eſt per accidens, decipiat te in primis qualitatibus, quia plerumque res calida ſanat morbos calidos, ſcilicet per accidens aut indirecte.

Si vis igitur experimentari. Primo decet te ſcire de rebus, utrum calidæ aut frigidæ ſint: & nota totum illud, & poſtquam ſcis iſtud, nota quæ ſit diſpoſitio & proprietas naturalis ejus: Utrumne eſt audacia aut timiditas, aut decor, aut ſterilitas, quia qualem habet naturam unumquodque entium, talem aſſimilat in his quibus aſſociatur, ut Leo eſt animal intimidum, & habens audaciam naturalem, maxime in fronte & corde, & ideo qui aſſociat ſibi oculum leonis, aut cor, aut pellem qui eſt inter duos oculos, vadit audax & intimidus, & inducit timiditatem omnibus animalibus. Et generaliter in Leone eſt virtus dandi audaciam & magnanimitatem. Similiter in meretrice eſt audacia exterminata, & ideo dicunt Philoſophi, quod ſi quis induit camiſiam meretricis publicæ, aut reſpexerit ſpeculum, aut ſecum habuerit in quo ipſa ſpeculatur ſeipſam, vadit audax & intimidus. Similiter in gallo eſt audacia magna, adeo quod dicunt Philoſophi, quod & ipſo viſo ſtupeſcit Leo, & ideo dicunt quod ſi quis geſſerit ipſius aliqua, vadit audax: & generaliter omne animal quod habet audaciam extermi-

natam

natam per naturam aut per caſum, ſi ex eo conſtrueretur hujuſmodi, dat ipſi audaciam. Similiter ſi eſt animal ſterile per naturam aut accidens aliquod, ejus conſociatio ad aliquem movet ad ſterilitatem. Et ideo ſcripſerunt Philoſ. quod mulus à proprietate vel quomodocumque ſit omnino ſterilis, facit viros & mulieres ſteriles, quando ex eo ſociatur aliqua pars mulieribus. Similiter facit abortivus & eunuchus, quoniam omnibus his eſt inſita ſterilitas, & aſſimilant ſibi in hoc hominem, qui ſibi aſſociat iſta intrinſeca. Similiter qui volunt incitare amorem reſpiciunt quod animalium maxime diligit, & maxime in illa hora qua magis ſtimulatur in amore, quia tunc in eo vigor magis in promovendo ad amorem: ex illo animali accipiunt partem in qua magis viget virtus & ille appetitus, ſicut ſunt cor, teſticuli & matrix, & exhibent ea illi quem volunt incendere, maſculus ad fœminam exhibet teſticulos. Mulier vero ad virum exhibet menſtruum aut ſecundinam.

Et quia hirundo multum diligit, ut dicunt Philoſophi, ideo multum eligunt eam ad excitandum amorem.

Similiter in hoc genere turtur, columba & paſſer maxime quando capiuntur amore & Venere, tunc enim irrefragabiliter provocant & inferunt amorem.

Similiter quando volunt facere loquacem, appropinquant de linqua canis, aut de cor-

de. Cum autem volunt facere fœcundum aut delectabilem, aſſociant ei philomelam, & univerſaliter quamcunque virtutem aut proprietatem naturalem vident in aliquo entium naturalium, ſecundum exceſſum ſupicantur aſſimilare aut promovere ſeu inclinare diſpoſitum ad illud propter quod ſciunt firmiter quod poteſt plus juvare quam nocere, eo quod habet illud inſitum à ſua natura. Et omnis virtus movet ad tale, quale eſt ſecundum poſſe ſuum. Et ſic intelligo eſſe in rebus mirabilibus quas audies. Et hoc dictum ſit ad introducendum animum tuum.

Dixit auctor libri regiminis quod quædam ſunt manifeſta ſenſibus, in quibus nullam ſcimus rationem: & quædam ſunt manifeſta ratione, in quibus nullum ſenſum nec ſenſationem percipimus. Et in primo genere entium nulli credendum eſt, niſi experientiæ, & non eſt experienda ratio, nec neganda experientia. Et in ſecundo genere entium non expectandus ſenſus, quia ſentiri non poteſt. Quædam igitur ſola experientia ſunt credenda ſine ratione cum lateant homines. Quædam ſola ratione cum careant ſenſibus, nam quamvis manifeſtam rationem neſciamus, quâ Magnes trahit ferrum, ita tamen manifeſtat illud experientia, quod nullus denegare poteſt, & quemadmodum iſtud eſt mirabile, quod ſola experientia certificat, ita in aliis debet

homo

homo æſtimare, nec debet negare quicquam mirabilium quamvis rationem non habet, ſed debet experiri, quia cauſæ mirabilium ſunt latentes. Et ex tam diverſis præcedentibus quod humanus intellectus ſecundum Platonem non poteſt eas imitari. Magnes ergo trahit, ferrum, Carabe trahit paleam, & quidam alius lapis trahit vitrum. Sic in entibus ſunt mirabilia declarata Philoſophis per experientiam, quæ nullus denegare debet, nec experitur illud ſecundum modum Philoſophorum, qui illud invenerunt. Nam dicunt Philoſ. quod palma eſt arbor, & habet maſculum & fœminam, cum ergo fœmina appropinquatur maſculo, vides fœminam declinatam ad maſculum, & mollificantur folia ejus, & rami, & declinant ad maſculum. Cum ergo ad palmas vident illud, ligant funtis à maſculo ad fœminam, redit ergo erecta ſuper ſeipſam quaſi adaptata ſit maſculo per continuationem funis virtute maſculi. Quare ergo negas quod in hoc ſit reliquarum rerum quæ ſuis proprietatibus agunt, donec per experientias certificetur tibi certitudo, & deſtituatur falſitas? Negotium autem tuum ſupra illud quod narravimus in libris noſtris duorum, rumor propalatur in regionibus, & quorum veſtigium datur apud ſapientes abſque experientia ipſius, cujus proprietates ſumuntur, eſt invidia & odium, ex quo ſemper provenit obli-

quitas intellectus, & judicii in ore. Multi tamen antiquorum narraverunt res mirabiles, tamen jam receptas apud vulgus & verificatas. Ego narrabo tibi quædam ut tu firmes mentem tuam ſuper eas, & ut ſit parata credulitati eorum, quæ ratio non poteſt confirmare ſecundum ſenſum, quia prædictum in eis ad adjutorium. Ex eis itaque eſt quod filius Meſue dixit in lib. de animalibus. Si induit veſtimentum viri mulier fœta, deinde induat ipſum vir priuſquam abluat ipſum, recedit ab ipſo febris quartana.

Et in libro de animalibus dicitur, quod Leopardus fugit ex cranio hominis: & alibi, quod ſi cranium hominis antiqui ſepeliatur in turri columbarum, aut ponatur in ea, habitant & quieſcunt columbæ ibi, & multiplicantur donec conſtringantur in ea.

Et in lib. de theriaca Galeni, quod ſerpens, qui dicitur regulus, eſt ſubalbidus, ſupra cujus caput ſunt tres pili, & quando videt eum aliquis, moritur ſtatim, & quando audit ſibilum ejus aliquis, vel aliquid moritur, & omnis beſtia quæ comedit ex eo mortuo, etiam moritur. Et dicit Ariſtot: quod ubi ſit æſtas ſex menſibus, ſimiliter hyems eſt fluvius in quo inveniuntur viperæ, quarum proprietas eſt ut nunquam videant ſe, quin moriantur, & faciunt hoc cum vivunt: cum vero ſunt mortuæ, nihil nocent. Et ingeniavit Ariſtot. cum Alex.

ut

ut reciperet ſpeculum magnum, & ambularet cum eo verſus eas, & cum reſpexerint ſeipſas, in ſpeculo mortuæ ſunt. Fuit ergo quibuſdam incredulus ſermo Ariſtot. Nam Avicenna inſtans Ariſt. ſi aliquis videt eum, mortuus eſt. Unde non eſt veritas in ſermone: & dixerunt, ſi aliquis acciperet de lacte mulieris lactantis virginem ſuam quæ eſt à bimatu, & ponatur in vitreo vaſe, & ſepeliatur vel ſuſpendatur in turri apud introitum columbarum & exitum, habitant, & multiplicantur columbæ in ea, donec ſint innumerabiles. Et dixerunt quando os hominis mortui ſuſpenditur in aliquo, juvat à quartana, & ſi ſuſpenditur os hominis mortui ſuper illum, qui conqueritur de ventre ſuo, ſanatur. Et dixerunt, ſi dentes pueri inprimis cum cadunt, ſuſpendantur antequam veniant ad terram, & ponantur in lamina argenti, & ſuſpendantur ſuper mulieres, eas prohibent imprægnari, & parere. Et in libro Cleopatræ, quando mulier accipit omni menſe de urina mulæ pondera duo, & biberit, ipſa non concipit. Et in lib. decorationis, accipe quantitatem fabæ de alcihi, & infunde ipſam in urinam mulæ, & da mulieri ad potandum, non concipiet. Et dixit Alex. Quando accipitur aliquid de umbilico infantis, qui egreditur; ſi inciditur & ponitur ſub lapide annuli de argento aut auro, tunc ei qui neſcit eum, non advenit cholica paſſio penitus, & dictum eſt

quod ſi ligetur ſemen acetoſæ in panno, & ſuſpendatur ſuper tympanum ſiniſtrum, non concipiet donec permanet ſuper ipſum.

Et dicit Galenus, quod quando folia acetoſæ comeduntur, ſolvunt ventrem: Et dicitur quod radix acetoſæ ſuſpenſa ſuper habentem ſcrophulas, juvat ipſum.

Et dicunt Philoſophi, quando vis, ut redeat beſtia ad hoſpitium ſuum, line frontem ejus cum ſepo ſquillæ, & redibit.

Et Ariſtoteles dixit in lib. de Animal. Si ponat aliquis ceram contritam ſuper cornua vituli vaccarum, vadit cum eo ubicunque vult ſine labore: & ſi inungat aliquis cornua vaccarum cum cera, aut oleo, aut pice, recedit dolor pedum earum. Et ſi quis delinierit caput tauri oleo roſarum, apoſtematur caput ejus, & ſi liniatur cum eo caput vaccæ, moritur. Et ſi aliquis unxerit linguam boum cum ſepo aliquo, non guſtant cibum nec comedunt, ſed prius moriuntur fame, niſi abſtergatur cum ſale & aceto. Et ſi quis inungit anum galli cum oleo, non calcat gallinam, nec poteſt, & ſi quis vult ut non vociferet gallus, caput ejus inungat oleo & frontem.

In libro Archigenis dicitur, quando cavilla leporis ſuſpenditur ſuper eum, qui patitur cholicam, confert.

Et dixit Ariſtoteles, qui ſedet ſuper pellem leonis, recedunt ab eo hemorrhoidæ.

Et dixerunt Philoſophi, ſi annularem abor-

tivi

tivi ſuſpendit ſuper ſe mulier, non concipit donec permaneat ſuper ipſam. Et quando bibit mulier urinam arietum, nunquam concipiet, & quando bibit ſanguinem leporis, non concipit. Et ſi ſtercus leporis ſuſpendatur ſuper mulierem, non concipit donec permaneat ſuper ipſam: & origanum modo tantum quando teritur & pulverizatur ſuper locum formicarum, amittunt formicæ locum ſuum.

Dixerunt Philoſophi. Si ſuſpendatur caput capræ ſuper illum qui patitur ſcrofulas, ſanatur per ipſum. Et dicitur in lib. decorationis: Accipe myrrham, & line pollicem pedis dextri tui cum oleo de paleſtina trita, nam tunc tu concumbes dum illud permanet ſuper pollicem. Et dicitur ibi, quod ſi tu accipis fel hirci & adipis, & exſicca utraque, deinde tere ea & calefac ambo cum puro oleo, & line cum eo priapum in circuitu hora coïtus, & nullum alium expetet præter te.

Dicunt etiam Philoſophi. Si accipiatur medium pondus, tres illius, & quinque, & ex duobus teſticulis vulpium, & ex felle galli, & permiſceat utraque, & portet ea continue tribus diebus in vulva, ſi in die quarta futuat eam vir, imprægnabitur à maſculo.

Si ſuſpendatur cauda adib ſupra præſepe vaccarum aut pecudum, non appropinquabit lupus donec permanebit illic, & ſi ſuſpenditur cauda lupi, aut pellis, aut caput

ſupra præſepe, non comedunt boves nec beſtæ aliquid. Et mulier quæ ſe ſæpius inungunt urina adib, nunquam concipiet.

Si vis ut mulier non corrumpatur, nec quærat viros. Accipe priapum lupi, & pilos palpebrarum ejus, & pilos qui ſunt ſub barba ejus, & combure illud totum, & da ei in potu, ipſa neſciente, nullum alium volet. Et dixerunt, quando mulier non vult virum ſuum, tunc accipiat vir ejus aliquid de ſepo hircorum mediorum inter parvos & magnos, & lineat cum eo priapum ſuum, & coëat, ipſa enim amabit eum, nec coïbit poſtea cum aliquibus.

Et dixerunt quod teſtudo, quando venenatur, comedit origanum & ſanatur, & ideo ſcivit quod origanum ſuccubuit cum veneno.

Dicitur etiam quod muſtela, quando venenatur à ſerpente, comedit rutam, & ſcivit ex hoc quod ruta eſt contraria veneno ſerpentum.

Et mus ſuppoſitus puncturæ ſcorpionum liberat, quia contrarius & nihil timens eum.

Dicunt Philoſophi. Quod ſi quis extraxerit calcaneum mulieris muſtelæ ipſa exiſtente viva, & ſuſpendatur ſuper mulierem, non concipit donec maneat ſuper eam, & quando removetur, imprægnatur.

Et invenerunt Philoſophi, quod ſi aliqua mulier eſt ſterilis, quando apponunt rem facientem ſterilem, mulier fit non ſterilis : & è converſo.

Si

Si accipiantur duo teſticuli muſtelæ, & ſtringantur & ligentur in crurem mulieris, & habeat os ſecum, mulier non concipiet. Et dicitur quod quando ſpongia projicitur in vino mixto aqua, deinde extrahatur & reſtringitur & exprimitur, egreditur aqua ex eo & remanet vinum, & ſi non eſt mixtum, nihil egreditur.

Dicit Tabarienſis, quod ſi ſuſpenditur lapis ſpongiæ in collo pueri, qui tuſſit tuſſi vehementi, ſedàtur tuſſis ejus: & quando intromittitur in caput aſini, aut anum ſcarabei, ſyncopizat, & non vertitur donec extrahatur ab eo.

Et ſi homo comedit lentes & mordeat, non ſanatur morſus, & quando intromittitur in anum arietis altis ſive alcis, cadit lana ejus.

Dicitur etiam, quod ſi ligetur aliquis cum cauda aſini, non ruget nec rudet.

Si accipiantur pili aſini, qui ſunt juxta priapum ejus, & dentur alicui in potu triti cum vino cuivis, incipit ſtatim pedere.

Similiter ſi aliquis accipit ova formicarum, & conterit ea & projecerit in aquam, & dederit eam in potu cuivis, ſtatim non ceſſat pedere. Similiter faciant cum vino.

Et dicitur quod ſi feceris annulum ex virga myrti recentis, & intromittas in ipſum annularem digitum, ſedat apoſtema ſub aſcellis.

In libro Ariſtotelis radix Juſquiami albi quan-

quando ſuſpenditur ſuper patientem cholicam, confert ei: & quando haurit, nitrum ſalſum ponitur in vaſe, & ponitur ſuper ipſum acetum, bullit fortiter abſque igne.

Dicitur etiam in libro Hermetis quando projicitur ſemen porri ſuper acetum, redit acetoſitas ejus.

Belbinus dicit, quando accipis albumen ovi & alumen, & linis cum eo pannum, & ipſum abluis cum aqua ſalis, ſicca eum, prohibet ignem comburere.

Dicit alius, quando accipitur arſenicum rubrum & alumen & teruntur & conficiuntur cum ſucco ſempervivæ & felle tauri, & linit cum eo homo manus ſuas, deinde accipit ferrum ignitum, non comburit ipſum. Similiter ſi accipiatur ex magna & alumine lamenti & talo & aceto forti & altea, & contriveris ea contritione bona, & linias cum ea manus, non lædit eas ignis.

Et dixerunt de Carabe, quando multum teris ipſum & ſufflas verſus lampadem cum ſufflatorio, inflammatur ex eo ignis magnus, & ab eo nihil contactum comburitur. Et quando volueris, quæ ſunt in palatio videantur nigra, accipe de ſpuma maris, & calcato & permiſce ea filis, deinde humecta cum ea licinium, & illumina cum eo lampadem. Quando vis ut quæ ſunt in palatio, videantur ſine capitibus, accipe ſulphur citrinum cum oleo, & pone ipſum in lampade; & illumina cum eo, & pone

illud

illud in medio hominum, & videbis mirum.

Et iterum dicit Belbinus, qui poſuerit portulacam ſuper lectum ſuum, non videbit ſomnium nec viſionem penitus.

Et Ariſtoteles dicit, quod equæ quando odorant fumum lampadis extinctæ, abortiunt & indignantur, & ſimiliter hoc accidit quibuſdam mulieribus prægnantibus.

Dicit Ariſtoteles, quod ſi quis inveniat camelum coire cum matre ſua, & ipſe præſentit illud, ipſe proſequitur eum, donec interficit eum, & ſi inveniet equum aſcendere matrem ſuam, & præſentiat illud, interficit ſeipſum & necat intendens ad hoc.

Et dicit Tabarienſis, ſi accipiantur rafani & conficiantur.

Et dicunt Philoſophi, quod ſi ſubmergas muſcas in aqua, videntur mortuæ, & ſi ſepeliantur in cinere, reſurgunt iterum, & quando ſubmergis Aombor, moritur, & rotetur ſuper ipſum acetum vivificatur, & quando ſepelis ſcarabeum in roſis, moritur, & ſi ſepelis in ſtercore, vivificatur.

Dixerunt & Philoſophi, quod quando pennæ aquilarum ponuntur cum pennis aliarum avium, comburunt illas & mortificant eas, ſicut ipſe eſt vincens in vita ſua omnes aves & dominans. Pennæ aquilarum ſunt pernicioſæ omnibus pennis. Et dicunt Philoſophi, quod ſi ponatur in aliquo loco pellis ovis cum pelle adib, corrodit & conſumit: & qui induit pannum ex lana ovis, quam

quam comedit adib, non ceſſat ab eo pruritus donec exuat eum. Et ſi acceperis pilum equæ, & extenderis ipſum ſuper oſtium domus, non ingreditur oſtium illud carnifex, donec ſuper eo ſtat pilus.

Et ſi ſuffumigas domum aut locum pulmone aſini, mundas eam ab omni ſerpente & ſcorpione, & ſciunt Philoſophi ex hoc, quod valet contra venenum.

Tabarienſis etiam dixit, ſi lingua Upupæ ſuſpendatur ſuper patientem oblivionem, reddit eum memorem, & aliæ rationes.

Et in libro Cleopatræ dicitur, ſi mulier non delectatur cum viro ſuo, accipe medullam lupi de pede ſiniſtro & porta eam, & nullum diliget niſi te. Et dicitur quando accipitur coxa ſtruthionis maſculi ſiniſtra & bullitur cum oleo, deinde liniuntur cum eo origines pilorum, nunquam renaſcuntur.

Dixit Architas, ſi accipiatur cor dum vivit & ſuſpendatur ſuper patientem quartanam, eradicat eam.

Et ſpolium ſerpentis, quando ſtringitur ſuper ancham mulieris, accelerat partum: ſed cum parit, illico removeatur.

Dentes omnium ſerpentum quando eradicas eos dum vivit ſerpens, & ſuſpendantur ſuper quartanarium, tollunt ab eo quartanam, & ſi ſuſpendatur ſerpens ſuper dolentem dentem, prodeſt, & ſi ſerpens occurrit prægnanti, abortit, & ſi occurrit ei dum parit, accelerat partum. Et dicunt, ſi acceperis

ris caninum dentem crocodili ex palato ejus ſuperiore ſiniſtro, & ſuſpendis eum ſuper febricitantem, ſanat & redibit ad ipſum nunquam: & dixerunt, quod Leo terretur ex gallo albo, & Leo iterum timet ignem, & qui ungitur cum ſevo renum Leonis, non timet ire inter beſtias, & omnes beſtiæ terrentur ex Leone: & qui linit corpus ſuum cum ſtercore leporis, terrentur ab eo lupi. Et ſi teritur arſenicum citrinum, & admiſcetur lacriſi, cadit ſuper cum muſca, quæ non moriatur.

Si acceperis dextrum pedem teſtudinis, & ſuſpendis eum ſuper dextrum pedem podagrici, confert ei. Similiter ſi ſiniſtrum ſiniſtro, ſic manus ejus confert manui, & digitus digito. Et ſi accendatur ignis coram hernioſo ex viridibus lignis ficulnearum, crepitant teſticuli ejus.

Et in libro Hermetis, oculi urſi ambo cùm ligantur in panno lini ſuper adjutorium ſiniſtrum, removent quartanam. Et dicitur, quod ſi lupus videret hominem, & ipſe non videt eum, ſtupeſcit homo, timet & rauceſcit. Et ideo ſi quis gerit oculum lupi, juvat ad victoriam, ad audaciam & debellationem & timorem adverſarii.

Et ſi dicitur quod fiat annulus ex albis ungulis aſini, ſi induit ipſum epilepticus; non patitur epilepſiam.

Et dixerunt quando vis ne approximent muſcæ domo, tunc pone conditum & opium

in albedine calcis, & inde albifica domum cum ea, tunc non egredientur muſcæ penitus.

Et quando vis ut narret tibi mulier vel puella tua omnia quæ fecit, accipe cor columbæ & caput ranæ, & exſicca utraque & tere, & pulveriſa ſuper pectus dormientis, & narrabit omnia quæ fecit. Dum vero evigilaverit, exterge illud à pectore, ne allevetur. Et dicunt, quod ſi quis ponit Adamantem capiti mulieris dormientis, manifeſtat ſi eſt adultera: quoniam ſi ſic eſt, reſilit territa de lecto: & ſi non, amplectitur virum ſuum cum grandi dilectione.

Et dicunt, quod pellis aſini, quando ſuſpenditur ſuper pueros, prohibet eos terreri.

Et dicit Architas, quod ſi accipiatur cerumen auris canis ſiniſtræ, & ſuſpendatur febricitantibus periodice, confert multum, maximè quartanæ.

Et dicunt Philoſophi, quod aliqua ſpecies vel individuum, quæ nunquam habuit ægritudinem, confert omni ægritudini: & cum nunquam affuerit dolor aliquis, ſuccurrit & ſanat hominem ab illo.

Et ſi ſuſpenditur ſpuma maris ſuper coxam mulieris ſiniſtram, accelerat partum, & quando ſuffumigatur domus cum ungula muli ſiniſtra, non remanent in ea muſcæ.

Et ſi ſuſpenditur cor Upupæ aut oculus, aut cerebrum ſupra ſe ad collum ſuum, confert oblivioni, & ſubtilizat intellectum hominis.

Si

Si mulier non poteſt concipere, accipe cornu cervinum pulveriſatum, & miſceatur cum felle vaccino: teneat mulier ſuper ſe, coëat & ſtatim concipiet.

Seta de cauda equæ poſita ſuper oſtio, non permittit intrare zanzalas.

Dens pulli unius anni poſitus in collo infantis, facit ejus dentes provocari ſine dolore.

Dens equæ poſitus ſuper caput furentis, ſtatim liberat eum.

Si mulier non poteſt concipere, detur ei neſcienti lac jumenti, ea hora coëat, & ſtatim concipiet.

Unguis equi ſuffumigatus in domo, effugat mures. Idem fit ex ungula muli.

Ut tota aqua calida exeat à calidario, atrimentum, id eſt, terra franciſca cum pice projice in aquam, & tota exibit: Ut ignis de aqua extra eat, teſtam ovi accipe, & ſulphur vivum tritum, impone & calcem, & claude foramen, & mitte in aquam, & incenditur.

Et dicitur, quod ſi ponatur camphora ſuper aquam, accenditur & comburitur in aqua.

Ut aves manibus comprehendas, accipe grana quævis in fæce vini & in ſucco cicutæ valde imbibita, & objice ad aves, & omnis avis quæ inde guſtat, inebriatur, & perdit vires.

Si quæ mulier te ligavit maleficiis ad amo-

amorem ſuum, & vis illud diſſolvere: accipe camiſiam ſuam, & per capitium ejus minge foras, & per manicam ejus dextram, & non curabis de ea.

Ut mulier cum aliquo adulterare non poſſit, incide de capillis ejus, & pulverem illorum ibi ſuper feretrum ſparge, ante tamen unge feretrum cum melle, & mox coëas cum muliere, & cum volueris ſolvere, ex tuis capillis fac ſimiliter.

Et dicunt, ſi quis inungatur lacte aſinæ, congregabuntur in eo omnes pulices domus.

Literas quæ non leguntur niſi de nocte, cum felle teſtudinis ſcribe, aut lacte ficus, ſi ponatur ad ignem, aut cum aqua vermis lucentis de ſero.

Si accipiantur multa albumina ovorum de gallina poſt menſem, fiunt vitrum & dura ut lapis: & ex hoc tali fit topacius ſophiſticatus, ſi prius cum croco vel terra rubea liniatur.

Similiter ſpuma quæ invenitur circa teſticulos cervi vel equi, vel aſini fatigati, admiſceatur cum vino: & illud vinum detur alicui potatione, abhorrebit vinum per menſem.

Et ſi habuerit plures anguillas in vaſe vini, & dimittantur in illo mori: ſi quis biberit ex illo, abhorrebit vinum per annum, & forte ſemper.

Et dicitur, quod accipiatur funis aliquis cum

cum quo ſuſpenditur fur, vel ſuſpenſus eſt, & aliquantulum paleæ quam turbo venti in aëre ſuſpendit, & ponatur in olla, & miſceatur cum aliis ollis, omnes alias frangit. Item accipe aliquantulum prædicti funis, pone in inſtrumento, cum quo mittitur panis in furno, quoniam ille qui mittere debet in furno, non poterit immittere, ſed extra exiliet.

Ut homines videantur ſine capitibus, accipe ſpolium ſerpentis, & auripigmentum, & picem Græcam, & reuponticum & ceram novarum apum & ſanguinem aſini, & tere omnia, & mitte in rudi olla plena de aqua, & facias bullire ad lentum ignem, & poſtea dimitte frigeſcere, & facias cereum, & omnis qui illuminabitur eo, videbitur ſine capite.

Ut homines videantur habere quorumlibet animalium capita, accipe ſulphur vivum, & lethargirium, & iſtis ſimul pulverizatis, ſparge in lampade oleo plena, habeantque candelam de cera virginea, quæ ſi permixta cum fece illius animalis, cujus caput vis ut videatur habere, tenens candelam accenſam de lampadis igne, & da bibere vinum cum valdimonia, & illi qui inde potabunt, videbunt ſe habere caput animalis.

Ut homines videantur habere vultum canis; accipe adipem de aure canis, unge ex eo parum de bombycino novo, pone in lampade nova de viridi vitro, & pone lucernam inter homines, & cernunt vultum canis.

Ut

Ut homines videantur habere tria capita, accipe de pilis aſini mortui, & fac funiculum, & ſicca, & ſume medullam de oſſe principali dextri humeri, & miſce cum virga virginea, & lini funiculum, & pone ſuper liminaria domus: ingredientes domum tria capita habebunt; hi qui in domo ſunt, intrantibus aſini videbuntur.

Si vis, ut caput hominis caput aſini videatur: tolle de ſegmine aſelli, & unge hominem in capite.

Si vis, ut pullus aut res alia ſaltet in diſco, accipe argentum vivum & pulverem calamitæ, & mitte in ampullam vitream ſigillatam, & illam pone intra rem calidam, quia cum ſit argentum vivum calidum, movet ſe & faciet eam ſaltare.

Si vis videre, quod alii nequeunt, accipe fel de maſculo catto, & adipem gallinæ omnino albæ, & miſce inſimul, & oculos tuos inunge, & videbis. Si vis intelligere voces avium: aſſocia tecum duos ſocios in quinto Calendas Novembris, & vade in quoddam nemus cum canibus quaſi ad venandum, & illam beſtiam quam primo inveneris, defer tecum ad domum, & præpara cum corde vulpis, & ſtatim intelliges voces avium, vel beſtiarum, & ſi vis ut aliquis intelligat, oſcula eum, & intelliget ſimiliter.

Si vis ſolvere vincula, vade in ſylvam & proſpice ubi pica nidum habuerit cum pullis, & quando eris ibi, aſcende ad arborem,

&

& foramen ejus circumliga quocunque vis, quia cum videt te, vadit pro quadam herba quam ponit ad ligaturam, & ſtatim rumpitur, & tunc cadit herba illa in terram ſuper pannum quem debes poſuiſſe ſub arbore, & tu ſis præſens & accipe.

In nido Upupæ eſt quidam lapis, qui eſt diverſorum colorum, defer tecum ipſum, & eris inviſibilis.

Ut homo ſemper eunuchus ſit, accipe ex vermiculo qui in æſtate lucet, & da ei bibere.

Ut mulier confiteatur quæ fecerit: ranam aqualem comprehende vivam, & tolle ejus linguam, & remitte illam in aquam, & pone illam linguam ſuper partem cordis fœminæ dormientis, quæ cum interrogetur, vera dicet.

Si vis aliquem terreri in ſomno, capiti ejus ſuppone pellem ſimiæ.

Si vis capere Talpam, pone, in foramine ejus, cepe vel porrum aut allium, & ſtatim egreditur ſine viribus.

Serpens non accedit ad allium: nec canis guſtat aliquid tinctum cum allio.

Suffumigatio, quam cum feceris, videbuntur omnes in forma Elephantum, qui ſunt in domo, & equorum magnorum: Accipe ſpeciem, quæ dicitur Alchachengi, & contere, & confice ipſam cum aliquantulo pinguedinis delphini, & fac ex eo grana ſicut citri. Deinde fumiga ex eis ſuper ignem ſtercoris vac-

vaccæ, quæ mulgetur, & non ſit in domo locus, ex quo egreditur fumus, niſi porta, & ſit larga ſub terra deintus. Nam omnes qui ſunt in manſione, videbuntur quaſi ipſi ſint homines magni in formis equorum, elephantum, & eſt mirabile valde.

Suffumigatio alia, quam cum facis, vides formas multiformes, & mirabilia infinita, quæ præ multitudine non diſcernentur: Accipe Timar, id eſt, vermilium, & lapidem Lazuli, & pulegium montanum, & pulveriza totum, & cribella illud, & confice illud, & cum pinguedine delphini, vel equi, vel elephantis, fac grana in modum ciceris, & ſicca in umbram, & ſuffumiga cum eo quando volueris, & fiet quod dictum eſt.

Suffumigatio ad videndum in ſomno quod futurum eſt de bono & malo. Accipe ſanguinem aſini congelatum, & lupi cervini pinguedinem, & ſtoracem, aggrega totum ponderibus æqualibus, & conficiantur, & fiant grana, & ſuffumigetur cum eis domus. Tum enim videbis in ſomno tuo, qui narrabit tibi omnia.

Modus faciendi licinium, quod quando accenderis, videbis homines in quacunque forma volueris. Accipe oculos bubonis, oculos piſcis, qui dicitur aſſeres, & oculos piſcis, qui dicitur libinitis, & fel luporum. Contrita ergo ea manibus commiſcendo, & pone ea in vaſe vitreo. Cum ergo vis operari eum, accipe adipem cujuſcunque vis beſtiæ, quod fiat hoc

in

in forma ejus, liquefac eam & permiſce cum illa medicina, & inunge cum eo lichinium quodcunque vis, deinde accende ipſum in medio ædis: videbuntur enim homines in forma illius beſtiæ, cujus pinguedinem accepiſti.

Lichinium aliud, ut homines appareant in forma Angelorum. Accipe oculos piſcis & oculos filoe, id eſt, frangentis oſſa, & contrita eos manibus malcando, & pone eos in vaſe vitro ſeptem diebus, deinde pone in eis aliquid de oleo, & illumina cum eo in lampade viridi: & pone ipſum coram hominibus, qui ſunt in æde, ipſi enim videbunt ſe in forma angelorum ex igne accenſo.

Lichinium aliud faciens apparere homines nigrarum facierum. Accipe lampadem nigram, & infunde ſuper ipſam oleum ſambucinum vel argentum vivum, & funde in illo oleo vel argento vivo ex ſanguine phlebotomantium, & pone in illo ſanguine ſambucinum, vel argentum vivum.

Aliud fit lichinium ex pannis mortui aut ex pannis nigris, & accende in medio ædis. Nam tu videbis ex hominibus mirabilia, quando videbunt ſe ad invicem cum illis formis.

Lampas mirabilis in qua apparent res quantitatis terribilis habens in manu virgam, & territas hominem. Accipe ranam viridem, & decolla eam ſupra pannum exequiarum viridem, madefac ipſum cum oleo ſambucino, & pone ipſum lichinium, & illumina cum

eo in lampade viridi: nam tu videbis nigrum ſtantem, inter cujus manus erit lampas, & mirabile.

Lampas etiam cum aliquis tenet in manu, non videt aliquos eorum qui ſunt ibi, & qui fuerit poſt ipſum, videbit tantum. Accipe piſcem, qui dicitur delphinis. Deinde accipe pannum lini aut funeris, & ſparge ſuper ipſum aliquid extra zimar, deinde funde ſuper illud ex illa pinguedine liquefacta. Deinde ſtringe manum ſuper ipſum & involve pannum, & fac ex eo lichinium. Deinde accende ipſum in lampade æris viridis, & fiet quod tibi dixi.

Lampas alia faciens apparere homines in forma fœda, & terrentur invicem homines, & faciunt ipſum fingentes dæmonem. Accipe pilos ex cauda canis nigri, in quo non ſit albedo, & aliquid ex pinguedine ejus, liquefac pinguedinem. Deinde accipe pannum exequiarum; & fac deinde lichinium: deinde line ipſum cum eo quod feciſti, & illumina ipſum in lampade viridi cum oleo ſambucino, & accende ipſum in domo, & non ſit tibi lichinium præter ipſum, & videbis mirabile.

Lichinium pulchrum, ut domus videatur tota plena ſerpentum & imaginum, donec lichinium permanet accenſum. Accipe pinguedinem ſerpentis nigri & ſpolium ſerpentis nigri & pannum exequiarum, & fac lichinium ex illo panno, deinde line ipſum cum illa pinguedine & pone ſpolium ſerpentis in

con-

concavitate ejus, & illumina cum oleo ſambucino in lampade viridi aut nigra.

Aliud lichinium, quod quando eſt accenſum & effunditur ſuper ipſum aqua, invaleſcit; & quando oleum, extinguitur: accipe calcem quam non invenit aqua: & permiſce eam cum æquali pondere ſibi ex cera, & medietatis ejus ex oleo balſami, & nepta citrina cum æquali ſibi ex ſulphure: fac lichinium ex ea, & rota ſuper aquam & accendetur, & rota ſuper ipſum oleum, & extinguetur.

Lichinium aliud quod cum accenditur, omnia videntur alba, & argentea: accipe lacertam, & abſcinde caudam ejus, & accipe quod exit, quia eſt ſimile argenti vivi. Deinde accipe lichinium, & madefac cum oleo, & pone ipſum in lampade nova, & accende: domus ejus videbitur ſplendida & alba vel deargentata.

Operatio lampadis & mirabilis quam ſi quis tenuerit, non ceſſat pedere donec dimiſerit eam. Accipe ſanguinem teſtudinis, exſicca ipſum in panno lichinii, & fac ex ipſo lichinium, & illumina ipſum in lampade, da ipſum cuivis, & dic illumina: nam ipſe non ceſſabit pedere, donec dimiſerit illud: & eſt mirabile.

Lampas quæ cum accenditur in loco ranarum, nulla ſonat: ſed omnes ſilent donec fuerit accenſa. Accipe pinguedinem crocodili, & confice ipſam cum cera albificata in ſo-

le, & fac ex eo lichinium, & illumina cum eo in loco ubi ſunt ranæ: cum viderint iſtud, ſtatim tacebunt.

Lampas alia cum accenditur: vident ſe invicem aſtantes ſicut imagines & lapides. Accipe zimat & tere bene, & accipe pannum funeris, & madefac ipſum cum pinguedine piſcis aut cum oleo ſiſamino puro, pone ipſum in lampade viridi, & pone ſuper ipſum ex illo medicamine contrito rem parvam, & fit mirabile. Lichinium quod cum accenditur, non ceſſant ſaltare, & gaudere & inſanire gaudio, & maxime mulieres, accipe ſanguinem leporis & ſanguinem cujuſdam avis, quæ dicitur Solon, & aſſimilatur turturi, & æquale medietatis ejus ex ſanguine turturis maris. Infunde in eum lichinium & illumina cum eo in medio domus, in qua ſunt cantatrices & puellæ, & eſt mirabile, & probatum.

Si vis facere quod in ſtrata hominis appareant pediculi ſcaturientes, ut non poſſit homo dormire, tunc projice in lecto ejus pondus unciæ unius vel mediæ alcakengi, & ſi acceperis pilos aſturis, fiet inde lichinium, quod quando accenditur, vident ſe invicem omnes infirmos ex vehementia infirmitatis & extenuationis.

Accipe locuſtam citrinam & exſicca ipſam, & tere, & pone in panno exequiarum, & incende ipſum olao ſambucino: in quocunque loco fueris, erit quod tibi dixi, & mirabile.

Quan-

Quando vis ut videaris totus ignitus à capite uſque ad pedes, & non lædaris: accipe malvaviſcum album, confice cum albumine ovorum, deinde line cum eo corpus tuum, & dimitte donec exiccetur, & deinde line tecum alumine: & poſtea pulveriza ſuper illud ſulphur ſubtile, inflammatur enim ignis in eo, & non lædit, & ſi facis ſuper palmam, poteris tenere ignem ſine læſione.

Si vis, ut res projiciatur in ignem & non comburatur, accipe gluten piſcis partem unam & aluminis æquivalens illi, permiſceatur totum, & fundatur ſuper ipſum acetum vini: & conficiatur cum eo quicquid vis, projice in ignem, & line cum hoc linimento, non comburetur.

Si vis facere contrarium, ſcilicet imaginem aliquam hominis aut alterius, & quando ponitur in aqua, accenditur, & ſi extraxeris eam, extinguitur: accipe calcem non extinctam, & permiſce eam cum aliquantulo ceræ, & oleo ſilami & naphata, id eſt, terra alba & ſulphure, & fac ex illo imaginem: nam quando tu roborabis aqua, accendetur ignis.

Si vis facere, ut quando aperis manus tuas ſuper lampade, extinguatur lumen, & quando claudis eas ſuper eam, accenditur & non ceſſat illud facere. Accipe ſpeciem quæ dicitur ſpuma india, tere eam & deinde confice eam cum aqua camphoræ, & line cum ea manus tuas, deinde aperi eas in facie lam-

 padis,

padis, delebitur lumen ejus, & claude & reaccendetur.

Si vis videre rem ſubmerſam & profundam in nocte, & non occultetur tibi plus quam in die, & legis libros de nocte nigra. Unge faciem tuam cum ſanguine veſpertilionis, & erit quod dico.

Si vis albificare aliquid, ſuffumiga illud ſulphure.

Si vis ut arbor citri projiciat omnes fructus & cadant. Accipe quinque partes ſulphuris citrini & quinque nigri & duo albi & ſinabrium: tere omnia & permiſce & ſuffumiga, & cadent omnes fructus, & forte ſic eſt in aliis arboribus.

Si vis ſtatim interficere ſerpentem, accipe ex ariſtologia rotunda quantum vis, & tere illam bene, & accipe ranam ſylveſtrem vel campeſtrem & contere ipſam & commiſce eam ariſtologiæ, & pone cum eo aliquid ex incauſto & ſcribe cum eo in charta aut aliquo quod plus amas, & projice ad ſerpentes.

Si vis portare in manu tua ignem, ut non offendat. Accipe calcem diſſolutam cum aqua fabarum calida & aliquantulum magranculis, & aliquantulum malvaviſci: & permiſce illud cum eo bene, deinde line cum eo palmam tuam, & fac ſiccari & pone in ea ignem, & non nocebit.

Dicunt Philoſophi, quod calx talis non comburit in igne & gluten piſcis ſalvat ab igne,

&

& alumen jamenum & ſanguinis ſalamandræ & fuligo fururi vel lebetis : quando igitur ex iſtis omnibus aut quibuſdam fit linimentum, non offendit ignis albumen ovi, & malvaviſcum habent juvamentum in hoc.

Si vis ut tota domus appareat plena ſerpentibus. Accipe de pinguedine ſerpentis, & parum ſalis in ea pone, & accipe pannum exequiarum, & incide ipſum in quatuor fruſtra, deinde pinguedinem, & pone ipſam in omni panno : & ſic facias quatuor lichinia, & accende ea in quatuor angulis domus cum oleo ſambucino & in lampade nova, & fiet quod dixi.

Lichinium quod cum accenditur in domo, videbis res volantes virides ut paſſeres, & aves : accipe pannum exequiarum recentem & pone in eo cerebrum avis & pennas caudæ ejus, & involvenda fac ex eis lichinium, & pone ipſum in lampade nova viride, accende ipſam in domo cum oleo olivæ, & quæ res erunt in domo fient virides valde, & videbitur quaſi volarent aves virides & nigræ. Ut domus videatur tota viridis & plena ſerpentibus & imaginibus timoroſis : accipe cutem ſerpentis & ſanguinem alterius ſerpentis maſculi & adipem alterius ſerpentis, & aggrega illa tria & pone ea in panno exequiarum, & accende ipſum in lucerna nova.

Si vis facere candelam vel lichinium quæ cum accenditur, agitatur & ambulat, accipe cutem lupi, & cutem canis, & fac ex utriſque

lichinum, & accende ipſum cum oleo olivæ, & ſtatim movebitur.

Quando vis accendere lucernam ex qua valde timetur. Accipe pannum lini novum, album, & fac ex eo lichinium, & pone in concavitate ejus aurem ſerpentis, & ſalem groſſum, & facias ipſum oleum olivæ: da cuivis, & ſtatim cum accenderit ipſum, trepidabit, & timebit valde.

Dicunt Philoſophi, quod ſinciput eſt prima pars capitis: ex ſincipite hominis parum poſt mortem generantur vermes, cumque prætereunt ei dies ſeptem, vermes illi fiunt muſcæ, & poſt quatuordecim dies, fiunt dracones magni, quorum unus ſi momorderit hominem, morietur ſtatim, quod ſi tu acceperis ex eo & coxeris illud cum oleo, & feceris ex eo candelam in lucernam æris cum lichinio panno exequiarum, videbis ex eo rem magnam, & formam, quæ narrari non poteſt cum timore forti.

Experimentum mirabile quod facit homines ire in ignem ſine læſione, vel portare ignem vel ferrum ignitum ſine læſione in manu. Recipe ſuccum biſmalvæ, & albumen ovi, & ſemen pſilli, & calcem, & pulveriza & confice cum illo albumine ovi ſuccum raphani, commiſce; ex hac confectione illineas corpus tuum vel manum, & dimitte ſiccari, & poſtea iterum illineas, & poſt hoc poteris audacter ſuſtinere ignem ſine nocumento.

Si autem velis, ut videatur ardere illud linitum, aſperge de ſulphure vero bene pulverizato, & videbitur comburi, cum accendetur ſulphur, & nihil ei nocebit: ſi flammam candelæ, quam quis tenet in manu, colophoniam vel picem græcam inſuflaveris ſubtiliſſimè tritam, mirabiliter auget ignem, & uſque ad domum porrigit flammam. Ut ignem illæſus portare poſſis, cum aqua fabarum calida calx diſſolvatur, & modicum terræ rubeæ de Meſſiſſa, poſtea parum malvaviſci adjicias, quibus inſimul conjunctis vel commixtis palmam illinias, & deſiccari permittas, & ſic eum ignem quo libet illæſus portare poteris.

Aquam ardentem ſic facias: recipe vinum nigrum, ſpiſſum, potens & vetus, & in una quarta ipſius diſtemperabis vivæ calcis, ſulphuris vivi ſubtiliſſimè pulverizati, tartari de bono vino & ſalis communis albi groſſi, poſtea pone in cucurbita, bene lutata, & deſuper poſito alembico diſtillabis aquam ardentem, quam ſervare debes in vaſe vitreo.

Ignem Græcum ſic facias: recipe ſulphurem vivum, tartarum, ſarcocollam, picollam, ſal coctum petroleum & oleum commune, fac bullire bene: & ſi quid imponitur in eo, accenditur, ſive lignum, ſive ferrum, & non extinguitur niſi urinâ, aceto vel arena.

Si vis facere quod ceſſet omne mirabile,

reſpice alias cauſas : ſcilicet agentem, efficientem & patientem, quoniam ſi utrumque reſpicis, non miraberis : cum videbis tantam aptitudinem eſſe in una ſufficientia alterius, quod non facit admirari, quando enim vides quod aqua frigida accendit ignem, & non extinguit ipſum; ſi tu reſpiceres cauſam agentem, mirabcris ſemper : quia eſſet efficiens conveniens ad hoc, ſed quando tu reſpiceres materiam illius effectus : ut puta, quia eſt calx & ſulphur, quod eſt valde inflammabile, ita quod minimum agens inflammat ipſum : tu vides, quod nihil eſt mirabile.

Similiter quando res aliqua ſi comburitur igne, mirabile eſt, quando una de cauſis inſpicitur ſola. Sed quando ſcitur natura patientis aut debilitas agentis, nihil mirum, maxima ergo radix experimentorum naturalium eſt in hoc ſc. ut eligant materiam paratiſſimam ad aliquid, & hoc debile agens aut fortiſſimum; & materiam valde indiſpoſitam : & faciunt ſimiliter homines aſpicere ad illam cauſam, quæ non videtur poſſe illud facere, & de illa nihil dicunt, & tu nota iſtud, quod ſecundum iſtum modum incidit multitudo experimentorum mirabilium : & de hoc narrabo tibi quædam iſtorum, ut ea confirmeris in virtute prædicta, & ſcias etiam excogitare ingenia experimentorum. Si vis facere carbunculum vel rem lucentem in nocte, recipe nocticulas lucentes quamplurimas & ipſas

con-

contritas pone in ampulla vitrea, & claude in fimo equino, calido, ſepelias & dimitte morari per quindecim dies, poſtea diſtillabis ex eis aquam per alembicum: quam repones vaſe de criſtallo aut vitro. Tantam enim præſtat claritatem quod in loco obſcuro quilibet poteſt legere & ſcribere: quidam faciunt hanc aquam ex noctilucis, felle teſtudinis, felle muſtelæ, felle furonis, & canis aquatici, ſepeliunt in fimo & diſtillant ex eis aquam.

Aquam ardentem ſic facias. Recipe ſerpentinam quam diſtillabis per alembicum, velut aqua ardens exibit, etiam miſce vino aut cuivis, & accenditur ſi appropinquas ei candelam.

Ignis volans: accipe libram unam ſulphuris, libras duas carbonum ſalicis, libras ſex ſalis petroſi: quæ tria ſubtiliſſime terantur in lapide marmorea, poſtea aliquid poſterius ad libitum in tunica de papyro volanti vel tonitrum faciente ponatur.

Tunica ad volandum debet eſſe longa, gracilis, pulvere illo optime plena; ad faciendum vero tonitruum brevis groſſa & ſemiplena.

ALBERTUS MAGNUS

De proprietatibus Herbarum, lapidum, & animalium quorundam explicit.

MICHAELIS SCOTI
rerum naturalium perſcrutatoris
Procemium in Secreta Naturæ.

Ad D. FREDERICUM, *Romanorum Imperatorem.*

IMPERATOR, inter cætera, quibus te oportet eſſe ſollicitum, eſt ſcientia boni & mali, & eam modis omnibus inveſtigare per temetipſum in libris auctorum & omnibus ſcientiis, & principaliter earum ſcientiarum, quæ dicuntur artes. Et hæc facies penitus, quando anima tua fuerit in quiete, & corpus tuum habuerit ſpatium, prætermiſſis negotiis gentium aliquid à majeſtate tua petentium & ei reſpondentium. Debes enim ſcire quod duo ſunt tempora homini viventi; ſcilicet tempus pacis, & tempus belli, & ita duo ſunt cibi, corporalis & ſpiritualis. Corporalis paratus ad nutrimentum corporis: Spiritualis vero ad nutrimentum animæ. Sciendum quod ſicut cibus corporalis conſervat corpus in bono ſtatu, ſi ſit factus ratione & aſſumptus per menſuram ab animali cui convenit & in tempore congruo, eo quod non in omni tempore omnia conveniunt; Ita cibus ſpiritualis retinet in bono ſtatu ſi ſit factus ratione & aſſumptus per debitam menſuram, in tempore congruo utriuſque ætatis, virtutis in homine.

Scri-

Scriptum eſt enim quod ſicut frigida calidis & calida frigidis temperantur: ita contraria contrariis curantur, & medelam recipiunt ordinate. Similiter eſt utile inquirere diverſos auctores & magiſtros propter diverſas ſententias, eo quod diverſi diverſa ſentiunt & movent ſcientia vel ingenio gratioſo naturæ, quod diffunditur deſuper, proficiens multum poſtea, & eſt origo ſcientiæ. Unde ex meo conſilio doctores, magiſtros & homines ingenioſos naturaliter, curialiter apud te invenies: & ſæpe cum multis ſermonem facies coram eis ſapienter ac domeſtice verba pronuncias. Putabis in diverſis propter diverſa, & facies eis quæſtiones quando tecum erunt, & dicta eorum in corde ſervabis in poſterum, ut tibi, & cæteris prodeſſe poſſint: Ne ſis terra inculta & arida, quæ cum ſit ſterilis, ab hominibus reprobatur. Manu tene ſtudium ſcientiarum tuo regno, & fac fieri diſputationes ante conſpectum tuum, & tuus animus in his glorietur, ut tuum regnum in melius formetur. Tuum ſtudium ſit velle regnare diu. Et hoc erit ſi credideris virtutibus vitando. Et de tali moralitate aliquid dicemus, ſi Deus voluerit. Sed hic dicimus, quod des cor tuum cognitioni boni intellectus, ſecundum diſcretionis menſuram. Sis amicus Dei fide, ſpe & opere. Nec omittas amplecti illam ſcientiam, quæ philoſophis phyſionomia naturaliter nominatur. Et hæc ſcientia eſt illa inter cæteras qua cautè multi homi-

homines quondam uſi ſunt gloriari & exaltari apud magnates ſecundum imperatores qui tranſierunt. Similiter apud multos Reges, & Barones. Et quia adeo præcedunt reliquos homines ſcilicet propter hanc ſcientiam & propter hujuſmodi plurimas alias quas ſecreto noverunt. Unde dictum eſt, Honora hominem propter ſcientiam. Require amicum propter neceſſitatem. Apud quoſdam enim melius eſt philoſophari, & apud quoſdam utrumque nocet, & apud quoſdam neutrum debet requiri, ſcilicet à facientibus veram pœnitentiam in hac vita. Hujus enim ſcientiæ inquiſitio eſt in pulcherrima natura, cujus perfectio contribuitur phyſionomo de numero antiquorum Phyſione ſummo Doctori in ſcientia naturali. Unde quidem hæc ſcientia nomen traxit ab eo, ſtudium ejus grande fuit diu, & diu etiam inveſtigare, ac etiam reprehenſibilior congregare. Collecta eſt enim hæc ſcientia ex compoſitione hominis utriuſque ſexus cum qualitate poſſibili, modi, ſtatus, perſonæ inventis. Et ex hac ſcientia naturæ ingenioſæ quæ cognovi, tibi, domine imperator, ſub lucida brevitate in hoc libello penitus enarrabo. Dicit enim quidam ſapiens, phyſionomia eſt ſcientia naturæ, inſinuatione cujus peritus in ea ſufficienter agnoſcit differentias animalium, perſonarum omnium graduumve. Et quia omnis ſcientia eſt à phyſionomia: idcirco eam in hoc loco definiamus.

Phy-

Phyſionomia eſt doctrina ſalutis & electio boni & vitatio mali, comprehenſio virtutis, & prætermiſſio vitiorum. Hoc autem inducit verus amor Dei, timor diaboli: fides meritoria, ſpes præmii imperdibilis æternæ vitæ & judicium mortis, quia videtur penitus quod hic omnia relinquuntur cæteris quia tenentur. Et nonnulli valet ſcientia, nec potentia, nec congregatio perſonarum, nec gratia pulchritudinis, nec voluntas & omne bonum. Unde dixit quidam.

Omnes tranſibunt, nos ibimus, ibitis, ibunt.
Chari, non chari, conditione pari.

Et alibi dictum eſt.

Omnia tranſibunt, præter amare Deum.

Conſtituo ergo, ô Frederice Imperator, tibi ex hac ſcientia phyſionomiæ regulas & conſtitutiones abbreviatas: quas tibi pono ſatis ſufficienter. Jugo quarum ſi te bene adjeceris: dabit tibi magnum prætium laudis ex multa ſapientia, virtute: creſcet tibi etiam magnum & grande ingenium ſapientiæ ad nobilitatem tuæ naturæ: quam ſapientiam ſi in mente habueris memorem, melius intelliges dicta eloquentium tibi, cautius agnoſces tuos ſapientes & alios viſu & auditu, nec non & alios homines differenter qui tecum habebunt gratiam eloquendi vel ante te aliquid faciendi, quia non eſt parum. Et ex induſtria hujus ſcientiæ in te ſecreto, habebis grandem partem conſiliorum tibi conſulentium & exaltationem virtutum, & vitiorum quaſi

quaſi ut ſemper ſecum habitaſſes in factis ubique. Sed antequam hoc tibi recitem ordinate per ſingula capitula, volo tibi enucleare hiſtoriam prius ſubſtantiæ, quaſi incipiens à fundamento primæ materiæ: quod poteſt eſſe tibi multum charum multiplici ratione, eo quod pauci hoc ſunt ſcientes in veritate.

Si prudentiam, Si cautelam,
Si ſanitatem, Si fiduciam,

Si denique hominum mores ac domeſticorum animalium naturalium naturas ſcire cupis, *Michaëlem Scotum* legito.

PRIMA PARS

Secretorum Naturalium.

CAP. I.

Utilitas Phyſionomiæ.

NOBILIS Imperator, vir gratioſe, quaſi omnium gratiarum & donorum ex grandi amore tibi notifico ſacratiſſimam ſcientiam naturæ, quæ poteſt appellari conſolatio, & quæ non multum diſcitur gentibus idiotis, nec etiam eſt diſcenda. Sciendum quod qui eam bene noverit, & memorem in mente habuerit quo-

tieſ

tieſcunque caſus incurret, ipſamque excitando, ſi incipiat loqui de ipſa cum altero, & ille hanc ſcientiam ignoraverit, videbitur illi quod ipſe ſit propheta vel ſanctus, & hic poſtea te commendabit, ubique dans ei ſtudioſe pretium magnæ laudis. Amabitur à gentibus notis & ignotis, quæ audierint loqui de illo, & honorabitur inter eas. Et hoc non eſt parum, videlicet inter univerſas gentes famam ſapientiæ & ſcientiæ celebrem obtinere. Scias igitur quod motu ſuperiori & motu inferiori ſcilicet partim in genere, partim in ſpecie, & motus primus conceptionis ex utroque ſexu eſt amor naturalis viri in mulierem & mulieris in virum caloris uniti genitalibus. Sciendum quod vir eſt agens, mulier vero patiens: unde ambo habent vim relativi: cum in coitu ſit mutua relatio. Eoque ſemen ejus refertur alteri, & utrumque eſt animus alterius. Luxuria viri primam radicem habet in lumbis, & libido mulieris in umbilico, unde Job. Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo ejus in umbilico ventris, juxta illud domini in Evangelio. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Tempus enim congruum viro eſt in hyeme & in vere ad coeundum, mulieri in æſtate & autumno. Iſtud autem eſt propter contrariam complexionem temporum & perſonæ. Complectio quorum nihil aliud eſt quam caliditas cum frigiditate, & humiditas cum ſiccitate. Item dicimus quod neu-

ter

ter non poſſet agere cum delectu, niſi haberet inſtrumenta ad hoc deputata tam intus quam intra. Unde vir habet ſuos teſtes extra ventrem in pelle. Mulier vero intus, videlicet extra principium vulvæ. Tamen non ſunt in omni ſimiles teſticulis viri. Unde mulier habet ſuum ſemen ex teſtibus velut vir, hoc movetur ad coitum ardenter. Semen vero teſticulorum proprie ſperma quod deſcendit ex omni humore corporis, diviſo & partito in omnibus membris eſſentiæ, cujus eſt nobilior pars omnium humorum & ſubtilior. Et hoc ſemen in ſe continet omnem naturam & complectionem quamlibet partium totius corporis, à qua deſcendit. Sciendum eſt, quod ſperma viri eſt calidius & fortius illo mulieris. In emiſſione vero ſpermatis utriuſque à natura ſuperiori tribuitur omnis virtutis effectus, & virtus augmentabilis pro tempore decurrente. Et ſecundum curſum corporum ſuperiorum ſicut diſpoſitionem corporum concipientium fœtus recipit ſimiliter & ſemel omnia & ſingula quæ poſtea diſcernunt ordinem temporum & naturæ. Quantitas autem embryonis fit ſecundum quantitatem ſeminis virtuoſi & matricis, quæ matrix, ſi fuerit bonæ complexionis, embryo vadit ad perfectum & è contrario. Unde ſi ſemen per matricem in longum, fœtus erit gracilis, & in latum vel quaſi rotundum, erit curtus & groſſus. Quid autem ſit ſperma, ſic diffinitur: Sperma eſt prima materia embryonis creandi.

di. Vel ſperma eſt artifex creandorum infantium. Vel ſperma eſt ſemen animalis ſine ph. & nobilioris ſanguinis & purioris ad inſtar vini rubri, quod ex agitatione convertitur in ſperma candidum: & cum illa ſubſtantia ſit nobilior parte remanente ac levior & virtuoſior, ideo ſuper aſcendit. Et eſt ſciendum, quod ſi de ſemine viri plus fuerit quam fœminæ, fœtus erit illi ſimilis in pelle & forte in ſexu, verbi gratia: Mulier quædam erat alba, & cum coiret cum Æthiope, peperit filiam albam. Alia mulier nigra coivit cum viro albo & peperit filium nigrum, ut patet hoc tanto tempore. Verum eſt quod ſi mulier ſit juvenis, cum in coitu ſit memor ſui, vel viri, vel alterius, & proprie diffundit generativum: genitus erit omnino ſimilis, & jam probatum millies, & in animalibus. Cum vero ſperma exit in coitu, eſt maxima delectatio in naturali, corporali & ſpirituali ſecundum quantitatem illius & teſticuli de quo exit. Sciendum eſt quod ex parte dextra major dulcedo quam ex ſiniſtra, & ex multo ſemine quam ex pauco, quia ſperma diffunditur completa ætate per cauſam, & unuſquiſque manu teneat ſibi vitam productus. Dicimus quod cibi ſunt quibus ſemen augmentatur in vaſis, ut rapæ recentes, carnes recentes, gallinæ, caſtrati porci non ſaliti: ova ſorbilia, fabum fractum, cibum depaſta; panis recens non candidus, &c. Sunt etiam cibi quibus ſemen deficiat abſque emiſſione, ut

ut carnes ſalitæ : cibi acri vel acerbi, panis ſiccus, tum xv. dierum & bis coctus, &c. Item ciborum quidam inducunt luxuriam, ut ſcinchus, ova ſorbilia, caſcus dulcis, eruta ſicca, vinum purum : oſtraca, ſaturitas conveniens ciborum & quædam electuaria. Movent autem luxuriam ſpecies decoris alterius corporis ad corpus ſibi amare conveniens riſui & tactui, verbi gratia ; Si vir bene videat mulierem juvenem & pulchram, & è contra. Et per viri ſimilem, ut ſi adoleſcens adornetur ad inſtar puellæ, vel habeat faciem inclitam, ut fœmella qua contingit fortis motus. Sunt etiam quidam cibi quorum comeſtione caſtitas conſervatur, ut portulaca, lactuca, eruca viridis, acetum compoſitum, cucurbita, cucumer, jejunium, paucus cibus, portatio jaſpidis & topacion, abſentia corporis decorati ætate, adornatione. Vir habet virtutem calamitæ ad mulierem, & mulier ad virum, quæ viſu propinquo tactu ad invicem conjunguntur, & ſicut de calibe & ſilice exit quandoque ſcintilla, ita de ſpermate exit quandoque conceptio, & matrix eſt embrio, ſicut olla ad coquendum epulum & lar frigaciam depaſta. Et ſciendum eſt, quod raro accidit, quod exeat ſperma ex utroque teſticulo uno coitu, ſcilicet utriuſque agentis, & patientis, & ab hoc una tantum fit conceptio vel creatio, quando conciditur deſuper dono gratiæ, nec aliter. Sed ſi ex duobus teſticulis utriuſque coitum facien-

cientis ſperma exiret & in duas partes matricis diffunditur, quæ fiunt creaturæ, vel amplius ſecundum diffuſionem per loca matricis. Unde cum matrix conſtet ex ſeptem cellulis ſive criſpaturis, ut patet in ventriculis ovium & porcorum, &c. Mulier poteſt concipere ſeptem filios & portare. Volens, domine Imperator, quod omnia & ſingula cognoſcas per temetipſum, quomodo embryo concipitur ſive generetur ex utriuſque coeuntibus in congruo tempore, vel coitu facto convenienter, inquirentibus nobis, aparte dicemus ſecundum quod nobis per ſeriem videbitur enarrare.

CAP. II.

De tempore coitus maſculi & fœminæ: & defectu ipſius.

PRincipium temporis coitus, ſcilicet in quo ſperma dulciter exit, vel amarè in maſculo, eſt poſt complementum annorum quatuordecim, & deinceps uſque ad annum ſeptuageſimum ſeptimum ad plus. In fœmina vero poſt complementum XII. annorum, & deinceps uſque ad xl. annos vel L. ad plus, & cum hoc ſpermatis exitu incipiunt pili paulatim oriri in pectine, unitas quorum dicitur fœmur. Similiter naſcuntur in naribus naſi, in maxillis maſculis ſub acellis, & circa ſexum deorſum ſuper brachia, manus & cru-

ra. Sicut incipiunt oriri in tempore veris frondes in arboribus: unde pori corporis aperiuntur, & producunt aliquid ſui generis. Item vox ſibi mutatur. Caput virgæ maſculi diſco operitur: mammæ fœminæ incipiunt tumeſcere. Uterque naturaliter ſe movet ad coitum: ex magno delectu pariter in naturalibus membris niſi libido ſæpe refrenetur per accidens, ut per jejunium, & per aſperam vitam ciborum. Poſt autem ſpermatis emiſſionem utrique mutant figuram principaliter in facie, & virtutem in carne & conſuetudinem in moribus, in cogitationibus & ingenio. De coitu dicimus quod ſi quis ipſum nimis frequenter, & etiam in diebus contrarii temporis, & multa contingunt in contrarium, quæ quidem faciunt corpori iſta quæ dicemus nunc. Nam coitus continue factus totum corpus intringat, & deſiccat ab humoribus, & talem actum ſentit inconvenienter cerebrum capitis & oculi, quia cum cerebrum plenum liquetur ut glacies, in ſequenti die proprie mane oculi lachrymant, contingit dolor capitis qui dicitur ſola ſive migranea & proprie circa horam nonæ & deinceps. Diminuit etiam coitus inconvenienter factus vires omnium membrorum, cum ſit ſperma colamentum ipſorum. Macro corpore figura ſit turpior in aſpectu, viſus oculorum abbreviatur, vita annihilatur, debilitatur ſpiritus, appetitus cibi perditur, homo ſit obliviosus, faciendorum piger, in eundo

gra-

gravis, in moribus ſolitis ſimplicior, in ingenio groſſus, in laborando vanus, in credendo alteri velox. Capilli ſibi facile cadunt & citius caneſcunt, & fit calvus in fronte & in ſummitate capitis. Facile infirmatur ab aëre corrupto. Qui cum patitur, non bene memoratur temporis in quo coivit nimis: vel contra documentum conſiliorum coivit naturæ. Et de iſtis omnibus ſatis patet per contrarium in pueris vel puellis nondum corruptis: quoniam ad talia non incurrunt: quia non caneſcunt neque calveſcunt; immo capilli ſibi creſcunt ut herbæ in horto. Et hoc patet in tricis puellarum virginum antequam coëant: quæ poſt multum coitum perdunt capillos & colorem. Et tunc per capillos & colorem valde mirantur, cauſam propriam ignorantes. Idem eſt de viris: quoniam bene perpendunt de caſu capillorum & dolore capitis quem migraneam appellant, ſed non cognoſcunt quod frequens coitus non eſt in congruo tempore factus. Unde ſuper hoc quidam dixit & bene, & memoriæ firmiter tenendum eſt.

Vere coire juvat: hyemis quoque tempore confert,
Sanus in autumno ſi vis tu fore, coi tu.

Unde qui à contrario ipſo ſibi non cuſtodierit nimio coitu & phlebotomia & cibis contrariis complexioni ſuæ, ſecure aſpectet infirmi-

firmitatem periculoſam, id eſt brevi tempore, niſi forte adjuvet maximo medicinarum juvamento. Tamen dicimus quod qui nimis penetraverit mulierem, lavet ſibi nates & pulſus brachiorum & pedum bono vino, & comedat bonos cibos, ut reſtauretur quod deperditum eſt de ſemine & de ſanguine. Sunt autem multi qui ſanitatem percipiunt ex uſu Veneris; & quidam facile infirmantur. Valet enim ſanguineis: nocet vero phlegmaticis, cholericis & melancholicis. Et prodeſt ſecundum cauſam intervenientem & ſtatum. Qui enim multum mingit, ſæpe recipit nocumentum per coitum, eo quod ſuperfluitates corporis ſufficienter mundantur per urinam: qui, ſi utatur coitu, facile infirmatur & cito moritur, verum eſt quod quædam faciunt ſatis urinare, ut volatilium & omne diverticulum ut petrocilium, crocus, rapæ, faſeola, nuclei ceraſorum, &c. Sed ſi pinguis ſanguinitate non utatur coitu & ſuperfluitate ſeminis quod minus implet vaſa, ſolet infirmari, ut patet in domicellis quo nimis conſervantur. In virginitate. In viduis & religioſis mulieribus & maſculis.

De occaſionibus generandi & non generandi.

CAP. III.

DIcit Ariſtoteles, Ceſſante cauſa ceſſat effectus. Unde multæ ſunt cauſæ generan-

generandi. Secunda cauſa eſt ſi ſtatus perſonarum fuerit bonus in ſanitate & congruus in uſu regiminis ciborum, & potu, & è contrario. Ut vero mulier generet, iſta ſunt principaliter præſcienda: ſcilicet ut matrix ſit ſana & in ſuo loco & non ſuffocata, & bonæ complexionis in caliditate. Sperma utriuſque ſit diu reſervatum & præcipuè vir ad hoc ut bene viſcoſum & coctum ſua digeſtione. Ambo coeuntes mittant ſemen & commiſceantur, virga ſit longa: mulier juvenis, vel quæ non deficiat menſtruo, matrix contineat ſperma receptum ad minus per mediam diem: vitet mulier coitum hinc ad tres dies, ne addatur aliud ſemen, vel ne aperiatur orificium: ne mulier edat tunc cibum frigidæ naturæ: nec phlebotometur, nec recipiat frigus, & ſic poteſt valere coitus. Facit enim ad concipiendum unus coitus tantum. Quando mulier coit volens gravidari, debet ſtare cooperta cum viro ſtricta, & tenere annum elevatum, ut ſemen melius intret, & plicata in uno latere ſecundum quod gravidari deſiderat: facta gravidatione diu cuſtodiat, & ſedeat in locum ano, pedibus & renibus. De menſtruo dicimus quod ſi à cane comedatur, purum ſit radibus, & ſi aſpergatur herba virens, ſiccatur: infatuat hominem certa ratione, & reddit leproſum Menſtruum ſuperfluitas ciborum, qui non bene digeruntur defectu caloris naturalis. Unde eſt ſperma imperfectum, & eſt ad concipiendum utile neceſſarium: ut eſt alumen in confectione tincturæ: & ſi de ipſo

in cellula quicquam non fuerit, generatio non valet. Sed ſi de ipſo nimis fuerit in loco compoſitionis, conceptus erit ſignatus in malum. Et ſi fiat generatio, temporis decurſu creatura erit male ſignata: ut gibbo, &c. aut efficietur leproſa, &c. Et ſi mulier ſit memor alicujus, cum ſemen diffunditur cum viro, creatura aſſimilabitur illi in parte. Et ejus memoria ſit utilis: debet doceri à viro quod non recordetur tunc de tali vel tali. Creſcit menſtruum & decreſcit ſecundum lunam & mare in ſimili. Et ita ſperma utrique ſexui unde poteſt ejus augere requirit exitum. Sciendum eſt quod mulier multo abundans menſtruo, pauco abundat ſpermate: & ideo non curat de coitu & è contrario.

CAP. IV.

Signa mulieris calidæ naturæ, & quæ coit libenter.

SIgna autem calidæ mulieris & quæ libentes coit, ſunt iſta: juventus, completis annis duodecim ſi ad minus ſemel corrupta mammas habent parvas, & illas convenienter plenas & duras, barbata in locis conſuetis, & piloſa, ut in cruribus & pectine aſcellis. Cujus pili ſunt groſſi & aſperi, capilli criſpi & curti: audax in lingua, in loquendo vox ſubtilis & alta, in animo ſuperba, alteri crudelis & non bene pia: valdè curialis receptu & factione ſervit omnibus perſonis, & præcipuè notis

notis & amicis: boni coloris in facie, tecta in haſta, macra in carne pluſquam craſſa ebrioſa. Talis enim mulier ſemper requirit coitum, & complet in actu ſuum deſiderium, pauco abundat menſtruo: quandoque non eſt exitus ejus omni menſe ut cæteris: imò tranſit unus menſis & plus, ut duo vel tres, ſed caſu ingravidatur: paucum habet hæc mulier lac: & forte gravida & non gravida. Caro ejus non ſic fœtet in ſudando, ut contrariæ mulieres: cantant libenter: circuit loca, & delectatur ſolariis & ornatibus ſuis, ſi ea poteſt habere.

CAP. V.

Signa mulieris frigidæ naturæ, & quæ non coit libenter.

SIgna verò frigidæ mulieris, & quæ non libenter coit, ſunt iſta, nimia pueritia, mammæ grandes & propriæ molles, nuditas pilorum in locis, quæ ſolent eis abundare, capilli longi, multi extenſi, cito creſcentes, de facili pavida in loquendo, contra alterum non eſt audax: facile credit omnia quæ audit, & ideo convertitur cito ad bonum, & ad malum: eſt condolens alterius miſeriæ ac pia, raro deſiderium complet, carnes habet undique molles: in ſtatu, loquendo eſt debilis, & omni membro perſonæ, multo abundat menſtruo, & ediſcurrit omni menſe ad inſtar maris per lunam, plus tendit ad pinguedinem quam ad macredinem, in facie eſt pallida vel

ſine colore, cito ingravidatur, & gravem habet portatum plus & minus ſecundum virtutem embryonis, & poſt partum multo lacte abundat.

Signa autem gravidationis in muliere ſunt iſta & multa, ut eſt tranſmutatio ſtomachi, ceſſatio menſtrui, &c. Ideo debilitatur & tranſmutatur in aliquo, à ſtatu priore pro eo quod meatus purgationis ſunt impediti: & menſtrua in ventre multiplicantur: ad impræ-gnandum, valet ante conjunctionem phlebotomia pedum, mundicies matricis, & ſimiliter ſi ſe excuſet de coitu, loquela: & hoc facit ſæpe, ingenioſe ne videatur eſſe impia, etiam propter verecundiam citius imprægnatur puella quam fœmina matura propter teneritatem ſuorum humorum: quia citius commiſcentur, & convertuntur in corruptionem, cujus exemplum eſt in plantis novellis arborum: & mulier parva cum majori parit dolore quam magna: & debilis quam fortis, & frigida quam calida, & pinguis quam macra. Forma autem pedum ſignificat conditionem vulvæ latæ & ſtrictæ, ex qua fit partus.

CAP. VI.

De menſtruis mulierum, & de iis, quæ circa ea ſuperveniunt.

QUoniam mulieres non habent in ſe tantum calorem innatum, qui malos humores in eis abundantes valeat deſiccare,

neque

neque poſſunt pati tantum laborem, neque tam fortiter, ut faciunt viri: ideo ſunt eis debiliores in omni virtute & opere, & maximè cum complent ſuum coitum. Secundum eſt quod natura ad hoc ſibi tribuit quoddam purgamentum, quod humorem virus naturæ ejicit ab eis omni menſe, à 12. anno uſque ad annos 40. 50. ad plus niſi ſint gravidæ vel lactantes, aut eis cauſa interveniat, à qua ſtringatur, vel niſi naturaliter ſit quaſi hermaphrodita, vel minus calidæ naturæ. Unde mulieres poſtquam ſunt completæ ætatis, mundantur per menſtruum vel coitum, vel per ſudorem ut ruſticæ. Unde ſi quæ vir virga ſæpe coeant, vel virga ſiriſci ut quædam viduæ, &c. fiunt macræ & in facie lividæ. Sciendum quod plus nocet eis una expeditio coitus quam ſeptem viro, ſed ſi raro coeunt vel non, & bene fluxu purgentur, cito incraſſantur, niſi fœminis faciant laborare vel jejunare, & ideo aliquantulum concupiſcunt coitum cauſa caloris naturalis multiplicando ſemen, ſed ſi bene vivant cibis & potibus, & non graviter fatigentur, indigentes coitu ut viduæ morbidæ & quædam monachæ, & recluſæ, facile infirmantur, efficiuntur lividæ & reumaticæ, & miſere vivunt in ſtatu ſui corporis, hoc eſt, ignorantes, & de hoc medici non ſemper bene perpendunt, & eſt magnus defectus in eis ſolo errore. Sed cum non ſit illis licitum talia explorare, conſulere debet juxta honeſtatem in comedendo vel

abſtinendo, & quod parum comedant: vinum temperent, ſe multum fatigent, & non ſtent ocioſæ: aut ſint in oratione nimia, & eant per loca hinc illinc, unde per hanc viam ceſſant tentationes carnis & humoris ſuperflui. Si vero mulier fluxum patiatur, & vir eam cognoſcat: facile ſibi virga vitiatur, ut patet in adoleſcentibus qui hoc ignorantes vitiantur quandoque virga, quandoque lepra. Et ſi mulier tunc concipiat, conceptus efficietur vitioſus defectu membri, ut digiti vel virtute viſus, &c. De flore mulieris eſt, ut arboris, quoniam fructum non portat, niſi prius floreſcat. Motus vero menſtrui eſt ſecundum lunam, ſpermatis vero ſecundum ſolem, & donec mulier abundat flore, ſic poteſt concipere ſicut vir qui ſemine virgam erectat, & ſicut multis cauſis contingit fluxus ab arbore: ita poteſt conſtructura. Unde pro utraque cauſa ſolet mulier graviter infirmari, & ideo valet exitus ſanguinis de naſo, & de vulva, &c. Dicit enim Hippocrates, quod mulier non poteſt concipere propter nimiam gracilitatem & macredinem, & propter nimiam pinguedinem. Cauſa eſt, quia ex utroque caſu os matricis eſt ſtrictum: ſtrictura cujus ſemen non intrat repente. Conſtantinus vult, quod mulier habens vulvam nimis parvam, quæ cognoſcitur forma pedum, non coeat: ne partu pereat imprægnata. Sed quia ſunt quædam mulieres ſanitatem percipientes frequenti coitu, ut quidam viri, dicimus quod omnino coeant licite, aut portent ſe.

cum

cum jaſpidem vel topacion, &c. De embryone dicimus, quod eſt ſimilis fructui, qui adhuc pendet in arbore: quoniam dum eſt tener in ramo, cadit levi occaſione, & perditur: ſed quando plus creſcit, firmior efficitur, obſtans vitiis quibus cadit: cum autem eſt maturus, ut pirum & ficus, cadit, & ita de embryone creato: quia donec non eſt bene ligatus in loco ſuæ ſedis: facile cadit ſive per ſaltum, &c. Unde circa principium ſui ortus & circa finem ſuæ nativitatis facile cadit: in medio vero horum duorum temporum non ita leviter cadit. Tempus vero periculi eſt primus menſis, ſecundus, ſeptimus, octavus, nonus. De primo menſe dicimus propter nativitatem. Hippocrates dicit, quod fœmina prægnans ante menſem octavum, nec poſt ſeptimum phlebotometur, ſed menſe quinto & ſexto ſecure, ſi ei ſit neceſſaria: verum eſt quod cum timore fiendum eſt & paucus ſanguis debet extrahi & tutius eſt ſe abſtinere. Homo non debet dicere ſtudioſe coram prægnante, & præcipue puella 20. annorum, quæ cupit ardenter imprægnari. Cum jam multæ mulieres perdiderint embryonem. Et ſciendum eſt, quod appetitus ejus transfertur in embryonem. Et ideo pro utroque tacendum eſt. Si vero mulier gravida omnino gliſcit comedere cretam vel carbonem, &c. ne ſibi ſit periculum, edat modicum, pro medicina utatur ciceribus aſſatis, fabis, &c. Cum vero prægnans appropinquaverit partui, & timeat cauſa motus dolorum, utatur balneis & un-

gat ſe oleo olivæ & pedes oleo roſato ſi inflaverit eos, vel aceto aqua debilitato: hæ fatuæ voluntates & carbonis, calcis, &c. plus contingunt in prima gravidatione & ſecunda quam poſtea. Si prægnans quandoque perdat ſanguinem ore vel naſo, vel ſubtus, ſignum eſt quod fœtus eſt nimis debilis, & in periculo, cum non poſſit recipere ſolitum nutrimentum, quamvis humores ſint multiplicati in ventre prægnantis. Et cum fluxus contingit ex frigiditate, ſibi ſubveniendum eſt cibis calidis & ſiccis natura in primo gradu vel in ſecundo, aut cibis calidæ & humidæ naturæ, ut zinzibere, cumino, carnibus, ut gallinarum: nitræ petroſilio cum lacte amygdalarum: ovis ſorbilibus, ciceribus fractis: odoribus muſci & thuris, & hujuſmodi. Prægnantium quædam facile parturiunt ut benè ſanæ, & habentes os vulvæ latum, matricem magnam, & quæ plus ſunt macræ quam craſſæ. Graviter vero parturiunt puellæ infirmæ, craſſæ & debiles habentes os vulvæ ſtrictum.

CAP. VII.

De modo coeundi, & de regimine eorum qui coeunt, &c.

ITem dicimus de coitu virtuoſo, & de generatione creaturæ, quod vir non debet coire recenter neque mulier ſpacio octo dierum. Sciendum eſt, quod quanto magis ſperma utriuſque fuerit ſervatum tanto & productum,

tum, & ſi idem ſperma ex bonis cibis fuerit generatum, tanto magis erit digeſtum & viſcoſum ac virtute plenum. In concipiendo vero mulier non debet eſſe plena floribus neque omnino vacua, ſed noviter mundata: ita quod matrix ſit aliquantulum munda. Et quoniam vir effundit ſemen, & ipſa ſuum, ut ambo ſemina miſceantur, & cum pervenerit ad punctum exitus, anum teneat elevatum procedendo ſtudioſe verſus illam partem cujus generationis gliſcit concipere, memorando alicujus formoſi, & ſemen bene diſcurrat in cellulam matricis per longum, & embryo recipiat formam laudabilis longitudinis. Completo coitu oportet, ut mulier confeſtim jaceat ſuper illud latus in quo receperit ſemen, & multum requieſcat: nec vulvam abſtergat intrinſecus, nec motum ſui faciat: nec urinam effundat, nec ſe elevet de lecto ea die, fingens ſe dolere caput &c. Vel ad minus in eo latere dormiat tribus horis, & ſi non poterit dormire ſic jaceat calida, quando autem de lecto ſurgere voluerit, plane ſe moveat, & ſuaviter vadat & omnia faciat: à curſu in ea die ſe abſtineat: à ſaltu, ab alio coitu, à ceſſatione, à multo cibo & potu. Cibus ejus ſit ſanus & bonus, & bene coctus, poſt prandium dormiat aliquantulum ſtans cooperta, ut ſit calida: nec poſſit recipere frigus, nec ſe permittat cognoſcere à viro, per ſeptem dies vel amplius, ne cella reſeretur. In latere dextro dicimus quod maſculus concipitur, & in ſiniſtro fœmina, ut quidam volunt, nos vero di-

cimus quod latus non facit ex toto, ſed ſemen teſticuli, quia de dextro exit maſculus & de ſiniſtro fœmina: verum eſt, quod complexio lateris proficit generationi, & cum ſemen exit de teſticulo dextero, ſentitur major dulcedo quam de ſiniſtro, & quod prædicta vera ſunt jam probatum eſt, miles qui habebat tantum unum teſticulum, quoniam illi qui habent teſticulum dextrum generant maſculos, & habentes ſiniſtrum generant fœminas. Sciendum quod in hora offenſionis eſt totum judicium conſtellationis concepti: licet ſit occultum aſtrologo. Unde mulier debet notare menſem, diem & horam bono arbitrio, quando coit coitu generationis, & tunc eſſet judicium facile. Generale eſt quod conceptus non ceſſat ex toto à prole. Unde dixit Pamphilus: Sæpe ſolet filius ſimilis eſſe patri, id eſt, proprio ſemini. Et alius dixit, fructibus ipſa ſui quæ ſit, dignoſcitur arbor. Inſuper dicimus quod ſicut eſt impoſſibile, quod homo unum pedem teneat in terra, & alium in cœlo: ita impoſſibile eſt quod puer natus ſit ſimilis ſuo genitori omnino figura corporali vel moribus. Si quis vero his duobus careat, ens magis vel minus omnino non eſt generatus ab eo, qui nutrit & tenet pro filio, quanquam cognoverit matrem. Nam de uno puteo multi poſſunt aquam haurire. Qui vero poſuit ſemen in conceptu illum plus amat & plus ſibi ſimilatur tempore diſcretionis. Et eſt regula generalis quod filii quodammodo plus matrizant quam patrizant: unde

regu-

regula generalis eſt, quod quanto plus uterque ſe abſtinet à coitu, tanto citius generat poſtea coiens. Ut patet in illis qui ſe diu ſervaverunt: quia vir veniens ad uxorem, cito eam gravidat.

Et eſt notandum, quod ſi ſemen ſit multum & inter in omnes cellulas matricis, & ibi debite conſervetur, ſeptem filii generantur, & ſeptimus eſt hermaphroditus, ſcilicet qui in medio generatur. Et plus quam ſeptem non ſperet habere in uno partu.

CAP. VIII. & IX.

Forma fœtus generati in matrice.

SCiendum eſt item quod in primis ſex diebus poſt coitum generatur tantum ſemine diffuſo in loco valetudinis matricis: cujus hæc in forma ſecundum diſpoſitionem divinæ potentiæ fit tanquam lac coagulatum, ſive butyrum. Poſtea in tribus diebus ſequentibus removetur à qualitate præfati lactis, & fit tanquam ſanguis: in ſex diebus ſequentibus ille ſanguis coagulatur, & dureſcit multum, & fit parvæ quantitatis ut pellis rotunda: poſtea in 12. diebus ſequentibus formantur membra principalia, quæ ſunt quatuor, ſcil. cor, cerebrum, hepar, & teſticuli. Poſtea in tribus diebus cætera membra generantur: & generata diſcernuntur in tota maſſa: poſtea in ſex diebus ſequentibus caput diſtinguitur

à ſpatulis formans faciem ſuper genua, cor & hepar, & teſticuli cum ſuis propinquitatibus. Creſcunt poſtea in quatuor diebus ſequentibus quæque membra totius corporis & ſuam habent perfectionem conjunctim & ſeparatim: ut natura requirit. Et ſic to ta creatura in tempore diffinito dierum ſuam habet eſſentiam, quam ad perfectionem ſui debet habere confeſtim vitam perpetuam, recipiens, id eſt, animam viventem Deo creatori ſimilem. Et hoc totum patet ex viro per hæc tria metra.

Tres in lacte dies, tres ſunt in ſanguine trini.
Biſſeni carnem, terſeni membra figurant.
Poſt quadraginta dies vitam capit hic animamque.

Cum prædictum germen ſic ſe habeat: eſt parviſſimum plus formica puncto quod eſt in maſſa de qua infinitæ concreantur, ut ova cancrulorum maris. De concreatione fœminæ ita dicimus, quod ipſa perficitur in 70. diebus ad plus, & in 65. ad minus: unde corpore præfato ejuſdem datur ei anima rationabilis à Deo ſuo creatore cui eſt tota ſimilis, & quæ non eſt antiqua, ſed nova, ut probatur per Aug. Unde ſicut corpus eſt noviter creatum & anima eſt noviter creata, & in humano corpore locatur, tamen in alio nunquam. Dat enim Deus animam novam & liberam corpori novo tanquam pater ſuo filio tabulam novam, politam, immaculatam, ut cum ea addiſcat, & ſuper eam doctrinam exemplo unius

unius magiſtri vel multorum, habeat etiam dictus puer poteſtatem faciendi de tabula quicquid voluerit boni & mali. 1. tenendi mundam & maculatam, quod tempus ei durat donec addidicerit, & nolendo addiſcere, ſibi aufertur à patre. Ita eſt de anima noviter data corpori novo: quia eſt quodammodo in poteſtate ipſius & cura obligata eſt corpore novo, cum qua & per quam idem corpus poteſt mereri laudem bene operandi, quo expectat benedictionem æterni patris & benevolentiam aneglorum, &c. Similiter poteſt mereri vituperium male operandi, quo expectat maledictionem æterni patris, & malevolentia angelorum, &c. Unde adeo repellitur quodammodo furoris ira cadens in manus inimicorum ſui, qui ſunt prædatores animarum fallentium & non obſervantium mandata ſolius Dei. Si quæratur, cur infans plene non loquitur, & non vadit quam cito eſt natus, ut poſtea tempore procedente, cum anima ſit perfecta in corpore. Reſpondemus, quod duæ ſunt cauſæ. Prima eſt originale peccatum. Secunda eſt culpa corporis, & non ejuſdem animæ, cum corpus non ſit perfectum, niſi ſecundum tempus, & non ſecundum naturam. Unde creſcente corpore anima viva ſe virtutibus manifeſtat.

CAP.

CAP. X.

De notitia nativitatis puerorum, ſcilicet quando pueri nati evadunt, & quando non.

DE nativitate infantium dicimus, quod poſtquam ſunt concepti, naſcuntur vivi aut moriuntur antequam naſcuntur, vel naſcendo, unde nativitate multa ſcitur operatio ineſſe propter operationem planetarum. Diſpoſitione quorum inferiora multipliciter diſponuntur, & ob hoc dicimus, cum luna in ſeptimo menſe multum humectet duriorem humorem quæ tenet quemlibet embryonem in ventre mulieris facta tenuitate, illi humores deſcendunt, inferius exit fex illorum, qui ſternunt in matrice per os vulvæ, aut cum embryone vel poſt exitum, quod totum fit operatione lunæ, quæ repit omnem hominem & fœminam. Quare operante luna in artificioſa natura fætus exit ſollicite de renibus perveniens ad lucem temporalitatis. Unde dicimus quod ſi quis naſcatur ante ſeptimum menſem, penitus non evadit, eo quod omnes planetæ non ſunt operati ſuam proprietatem juxta curſum lunæ, ſed ut ratio ſingulorum plenius habeatur, dicimus de unoquoque menſe ut infra patebit. Si naſcitur in primo menſe, nihil exit niſi humor commixtus multa varietate congelationis quibuſdam filis eo quod tunc regnat Saturnus quo coagulatur totum, quod ex luna fuit liquidum, Si naſcitur in

ſecundo menſe, ſanguis fruſtatim exit, eo quod tunc Jupiter regnat, & dominatur, operatione cujus humor aqueus jam converſus erat in ſanguinem & in multa membra, licet non ſint ſic fortia, quod tota creatura poſſit haberi ſolida. Si naſcatur in tertio menſe quod naſcatur vivus propter ſui imbecillitatem, cum ex facili laceratur in ventre nec habeat juvamen, licet habeat vitam. Suffocatur etiam nimio calore pro eo quod in eo menſe dominatur ei Mars, unde eſt parvus nancrulus. Si naſcatur in quarto menſe, exit vivus. Et ſi vivus ſtatim morietur propter ſui tenuitatem, & nimium calorem Solis qui tunc regnat illi. Si naſcatur in quinto menſe, licet vivus, quandoque non evadit propter dominium Veneris, qui eſt planeta in genere fœmineo, & in virtute debilis. Si naſcatur in ſexto menſe, non evadit propter dominium Mercurii: qui eſt planeta communis virtutis. Unde cum ſeparetur à ventre, & ſit in conjunctione cum luna quæ dexterior, eo non poteſt evadere. Si naſcatur in ſeptimo menſe, bene evadit, poteſt evadere propter dominium lunæ cum per ejus regimen ſit ordo officiorum à planetis completus in tali creatura, completo quidem ordine operationis, ſeptem planetarum, quæ fit in fine ſeptimi menſis, aut embryo naſcitur & evadit. Aut ſi non naſcitur prædicti planetæ incipiunt regnare in creatura ordine prætaxato. Sciendum eſt, quod ſentit in primo menſe regnat.
Satur-

Saturnus in genere, &c. In octavo menſe iterum regnat, &c. Si naſcatur in octavo menſe, natus non evadit, licet naſcatur vivus congrue fortis, & hoc eſt propter dominium Saturni qui tunc regnat, & quia ſua frigiditate infrigidat eum, & claudit non volentem ſurgere in animam: unde non vivit ultra diem octavum. Si naſcatur in nono menſe, bene evadit ſecundum curſum naturæ: eo quod tunc regnat Jupiter qui eſt planeta pius, & bonæ complexionis. Si naſcatur in decimo menſe, bene evadit: tunc regnat Mars, & ex ſuo calore complexionem ejus confirmat in melius cum inveniat creaturam bene complexam & determinatam. Item notandum eſt, quod propter illud menſtruum quod miſcetur cum diffuſo ſemine conceptionis in cellula matricis oportet de neceſſitate, quod quilibet homo natus tempeſtivè aut tardè habeat quatuor paſſiones inevitabiles, ſcilicet variolas, ſcurolas, ferſas, & ſcabiem humidam vel ſiccam: & ſciendum eſt, quod menſtruum eſt ita neceſſarium ad concipiendum, velut alumen tinctura, & niſi ſit aliquid de illo in cellula ubi ſit conceptio, generatio non valet, unde ſi creatura naſcatur & diu vivat, naturaliter purgatur ab illa immunditia. Sciendum eſt, quod ſi erat fluxus quando erat facta conceptio, & de menſtruo nimis in cellula creantur, concipitur vitiata in plus aut minus, & tunc vir ſe debet abſtinere coitu, & mulier debet ei reſiſtere cum ſagacitate, curſus

ſus autem hujus menſtrui eſt quando luna eſt media ſive rotunda, & iſte fluxus quandoque perſeverat uno die, quandoque tribus vel quinque plus ad ſecundum curſum lunæ, & conditionis quañtitatis vitiorum hominum. Et ſciendum quod Judæi naturaliter patiuntur fluxum ſanguinis, per virgam ſecundum lunam quibuſdam guttis, ut mulieres. De menſtruo poſſunt fieri multa maleficia, & de ſpermate, & de capitis pilis, & ſanguine & veſtigiis pedum in pulvere aut limo. Item ſecundum eſt quod ſi de menſtruo ſatis fuerit in conceptione, ipſa creatura in ſua vita ſatis habebit de prædictis quatuor paſſionibus & econtrario. Sciendum quod unaquæque paſſio illarum eſt purgamentum humorum illorum, quibus effectum habuit materia primitiva. Unde variolæ ſicut & ſcuriolæ, &c. ſignificant purgamentum ſui electi. Sciendum eſt quod donec infans eſt in ventre matris, vivit de menſtruo, ſcilicet ſe paſcit de illo, nec recipit ſuum alimentum per os ſuum, ſed per umbilicum. Unde iſta eſt cauſa, quia menſtruum diſcurrit omni menſe ſolito, quia efficitur cibus embryoni, & habet decurſum in ſtercus genitricis, & hoc ſufficienter apparet per mulierem lactantem, & per puerum naſcentem, quia mulier lactans non patitur menſtruum niſi per cauſam, imo menſtruum convertitur in lac, & quandoque inciditur ligamen infantis ab umbilico, quandoque reperitur in eo cibus, quem mater eo die comedit. Nato infante naturaliter nutritur lac-

[te

te donec eſt fortior, & manente virgine in tactu pilulæ naſi dignoſcitur, quia cartilago eſt ſolida, & cum eſt ſemen corruptis ei ſentitur partibus.

CAP. XI.

De modo naſcentis infantis & de ventre matris ejus.

DE exitu infantis ita dicimus, quod uterque exit foras per os vulvæ, tamen prius cum capite, ſi ſit bene ſanus. Sciendum eſt quod maſculus naſcitur ſupinus, & ſi aliqua vice teneatur in aqua balnei, & moriatur, moritur ore inferius, & fœmina naſcitur non ſupina, ſed cum ore inferius, ſi aliqua vice moriatur ore ſupino. Naſcitur enim prius cum capite quolibet, eo quod eſt ſibi quidam introitus ad vitam temporalem, ut videat mundum & eum cognoſcat miſeriis plenum, & ſuum defectum, & quod per ſe nihil poteſt facere, & cum eſt mortuum naturaliter, portatur cum pedibus ad foſſam in ſignum interitus. Et ſicut per caput mundum intravit, ita per pedes extrahitur, ſuum finem videns. Sed ſi aliter naſcatur, ut prius exeat pes vel manus, &c. vix evadit. Et potius morietur ſubito quam evadit, & mater ejus dolores & mortis pericula patitur. Sed ſi infans verſetur in ventre, raro contingit quod mulier evadat de illo partu quin moria-

moriatur. Et ob hoc tutum eſt habere bonam obſtetricem quæ per ſcientiam ſciat ſuccurrere mulieri parturienti cum tanto periculo. Naſcitur vir cum facie verſus terram eo quod prius fuit nocens quam cito exivit de manu Dei. Vir natus voce clamat oa, fœmina verò oe, quaſi maſculus dicat ô Adam quare peccaſti? quia pro te patior miſeriam infinitam, & fœmina dicat in ſuo lamentabili cantu, ô Eva quare peccaſti? nam tuo peccato ſum paſſura miſerabilem vitam in hoc mundo. Si autem vis ſcire, quomodo infans poſſit exire de utero genitricis, cum ſit magna differentia inter creaturam & januam de qua exit. Aſpice lapidem qui cum uno ictu oculi projicitur in aquam fontis vel fluminis, & exit ab ea, quoniam viſione oculorum comprehendi non poteſt apertio aquæ neque clauſura, & ſic propter lapidem ipſa aqua non aliter movetur de ſuo loco ſive ſtatu; quod ſimile eſt etiam de coagulatione ſalis, & de exitu graminis herbæ cujus effectus nequit finaliter comprehendi. Item dicimus, quod infans ſi naſcitur naturaliter, eum conſequi debet ſecundina, id eſt, illa pellis, in qua ſtetit involutus, veluti manet vitellum ovi pellicula tenuiſſima, cauſa cujus non diſpergitur, & tamen eſt in teſta. Hæc autem ſecundina cum ſit multum groſſa, non facilè partu diſrumpitur, & ideo infans dicitur natus veſte. Sed cum eſt ſubtilis, penitus laceratur, & cruo-

cruore tegitur. Sciendum eſt, quod ſi infante nato mulier bene purgetur, permanet ſana, & è contra: nec eſt mulier aptior ad imprægnandum quam poſt purgationem partus, quæ quam cito fluxu purgata levat ſe de lecto & poteſt ire per domum. Solet enim purgari hinc ad quinque vel ad ſeptem aut novem dies ad plus, & donec non eſt purgata, doloribus affligit. Sed ſi ultra ix, diem differtur purgatio, in periculo cadit ægritudinis, quia malè gravatur, citò incurrit ad mortem. Unde debet bonis cibis reſici & calida teneri, nec frigus recipiat quo matrix ſolet ſuffocari & malignari. Valent ſibi ſtuffæ, quia faciunt ſibi ceſſare dolores, & humores citius deſiccantur: Purgamentum vero parturientis occultatur viris & pueris, ne ſit eis horror, quia ſanguis eſt. Unde ab obſtetrice abſconditur in latenti loco domus, ut ſub pede ſcalarum vel poſt oſtium in obſcuro. Si enim ſciretur à viris quam turpia fœmina gerit, eam taliter haberent faſtidio quod eam tangere nollent, & generatio filiorum ſæpe ceſſaret. Item ſi parturiens non benè purgatur, illud quod tunc remanet, indureſcit ad inſtar fruſtri carnis ſecundum de die in diem, quo fruſtro mulier ſe credit non diu ingravidatam, cum habeat in ſe conditiones imprægnationis appetitu & ventris conſtitutione, donec veniat ad terminum partus præſtolati, & cum recipiat quaſi omnia ſigna partus afflictione, tamen nil parit &

tunc

tunc oritur ægritudo, niſi ſibi ſuccurritur beneficio utilis medicinæ. Si quæratur cur mulier non eſt barbata ſicut vir, dicimus & cum utriuſque cibi & potus naturaliter abundet multis humoribus, natura eos depellit hoc modo: quoniam in muliere conſumitur incremento capillorum & fluxu menſtruorum. Et in viro per augmentum capillorum & barbæ. Unde illi humores qui convertuntur in menſtruum, efficiuntur pili barbæ in viro, & è contrario. Sciendum eſt quod pili mulieris ſunt frigidi & humidi, & ideo ſuo pondere non poſſunt plus aſcendere quam ad mammas in quibus convertuntur malè. Capilli vero viri ſunt calidi & ſicci, & ideo eorum levitate aſcendunt per quoſdam meatus uſque ad fauces, & exeunt fauces poroſas ſive poros, ut fumus de foraminibus camini.

CAP. XII.

De rebus quæ nocent & proſunt embryoni & mulieri gravidæ.

MUlta ſunt quæ nocent embryoni, & non genitrici, & econverſo, & quædam utrique. Unde volentes hoc pandere documentum, dicimus quod herba papaveris & ejus ſemen nocet utrique. Cauſa eſt, quia inducunt ſomnum utrique, & herba atringit pellem embryonis, macula cujus nunquam recedit. Sciendum quod papaver & roſula candida

dida faciunt maculam candidam, & rubeam, unde prægnans in cibo non utatur, ne infans ſit ſomnolentus vel maculatus. Caro leporis & leonis nocent multum embryoni: quia illa ſemper apertis oculis dormit: ſimiliter acetum nocet & ſulſus, id eſt, nervi pedum boum & lac & cucumen, eo quod nimiam inducunt frigiditatem, unde portat utrique periculum. Cuminum & cafranum nocent embryoni, & ſuam tingunt pellem in pallidum colorem. Cæpe, allia, lactucæ & anetum nocent embryoni, quia ex eis perdit viſum, mel & allium, id eſt, radix magna in cortice nocent embryoni, quia vitiatur conjunctione digitorum manus, &c. tardè naſcuntur dentes & eos cito perdit. Baſilicum, abſynthium, ſal, & piper nocent embryoni, quia ex eis fiet ſiccus & efficietur leproſus omnino, & habebit breves ungues. Vinum purum ei nocet propter epilepſiam. Caro porcæ, ovis & anguillæ propter guttas in medullis oſſium, & bavas in ore. Caro ſalita & caſeus ruſticus & ſuffrictus ei nocent, quia ex eis fit ſiccus in carne. Et gluto, yſopus, caruca, carica, pignolum, oſſa in uno non multum potata juvant embryonem, & matricem, quia reddunt pinguem, & in facie colorem: ſalvia menta, fœniculum, petroſilium valent utrinque, quia generant bonum flatum. Saturegia, pulegium, & borago, interficiunt embryonem. Fumus candelæ extinctæ & lucernæ,

cernæ, ſubtellarium ſulphuris & argenti vivi interficiunt embryonem, & nocent cerebro mulieris. Cum vero embryo ſe movet, habens capillos, præſtat ex illis dolorem mulieri in ventre ſeu puncturas. Item ſciendum eſt, quod ſecundum omnium humorum quantitatem tam temporis quam perſonæ coeuntis, fit conceptio complexionata: ut ait Galenus in microtegni.

CAP. XIII.

De conditione lactis & lactantis, & de infante lactante.

DIctum eſt ſupra, quod menſtruum certa conditione convertitur in lac habens terminum ſui aſcenſus in mammas pectoris & exitum per poros capillorum. Quæ vero multiplicant lac & obſervant præter partum, ſunt multa, ſicut potus aquæ frigidæ, ut patet in pauperculis mulieribus brodium epuli herbarum & cibi paſtæ laganearum, pulvis criſtalli, ſemen fenugræci, aniſi, aneti, & dormire, continuatio lactationis, carnes recentes, vinum bene mixtum, &c. Similiter ſunt quædam lac deſiccantia, ſicut vinum purum fortis potentia, nimia vigilia noctis, participatio in cibo, & potu cum alia lactante, piperatum forte, roſmarinus, ſal, caro ſalita, panis ſiccus, caſeus imprægnatis, nimia triſtitia, acetum, &c. Scien-

Sciendum eſt, quod lac melius & pejus ſecundum naturam eorum quibus generatur. Verbi gratia. Nutribilius eſt ex brodio cibi paſtævam ex aqua pura, &c. Lac mulieris nigræ & brunæ eſt melius ſemper illo mulieris albæ & rubræ, nec eſt lac utilius infanti lacte ſuæ genitricis, & infans citius creſcit & melius informatur cibis bonis quam malis, & naturaliter imitatur veſtigia mortalitatis, lactantis, ut patet per illum qui diu nutritus eſt lacte porcæ, & per illum qui diu lactavit capram, &c.

Quoniam prior libenter intrabat veſtitus in limum, & comedebat ut porcus, alter ibat ſaltim & libenter corrodebat plantas. Ille qui diu lactavit nutricem fiſtuloſam, fuit etiam in conſimili parte ſui fiſtuloſus. Lac prægnantis eſt quaſi virtus infantis, cum faciat eam cito in ſtatum vel ſenectam intrare. Unde bene cavendum eſt cui nutrici detur infans ad lactandum propter tanta pericula quæ occurrunt.

CAP. XIV.

De diſpoſitione filiorum ad parentes & è converſo; & de lactato ad nutricem, non propriam matrem.

Quia naſcentium quidam ſtudio malignantur, & niſi naturaliter ſint maligni, ſtudio

ſtudio in bonum reformantur per cauſam voluntatis de ſingulis aliqua pertractaturi. Unde eſt, quod quidam ſemel naſcitur, ut homo & bos; quidam bis, ut avis & major pars piſcium; & quidam ter, ut multiplex genus animalium, velut apes & papiliones. Pullus vero bis naſcitur, ſcilicet primum ovum, poſtea pullus, &c. Item animalium quædam generantur coïtu, ut homo & bos, quædam ſine coitu, ut anguilla, cancer, ſcorpio, &c. Muſca vero & rana coëunt, ſed nihil gignunt. Item naſcentium omnium, quidam naſcitur vivus & videt, ut homo & bos, quidam cæcus ut canis, quidam mortuus ut urſus, quidam in fruſtrum carnis ut leo, quidam potens, ut aquila & major pars animalium, & quidam impotens ut homo. Sciendum eſt, quod ſanguis canum & infantium bimeſtrium & infra, abſque dubio liberat lepram per balneum aquæ calidæ factum. De amore vero nutrientis ad nutritum & nutriti ad nutricem, ita dicimus, quod infans qui nutritur in propria domo, & principaliter à matre, plus amatur à parentibus & ipſe plus amat eos, quam qui nutritur extra domum vel ab extranea nutrice. Quia facit hoc lac, labor & uſus, unde qui bene nutritur in domo & à matre, plus matrem diligit omni tempore. Sed qui extra domum nutritur diu, reductus in domum eſt quaſi extraneus reſpectu alterius, tamen plus & minus ſecundum locum propinquum & longinquum. Et ſuper hoc dixit quidam bene. *Qui procul eſt à*

lumine cordis: Cur parentes plus amant filium, quam filius parentes? Reſpondeo quia filius eſt caro & ſanguis parentum, ſed non è converſo, unde illi habent pignus in eo, & non ipſe in eis. Cur genitrix plus ardenter diligit filium quam pater, & condolet illius paſſione eis reddens facta offenſa? Reſpondeo, quia in eo plus habet carnem & ſanguinem, & diutius conſervavit ſocietatem & amicitiam cum eo portatione in ventre & extra ac nutritione lactis, &c. Cur pater plus amat filium quam mater? Reſpondeo, quia ſemen viri plus fuit in eo, & eidem patri eſt ſimilior quam matri. Cur pater & mater non tam firmiter ſervant guerram filio, & diu, ſicut filius facit contra eos? Reſpondeo, quia eorum eſt caro & ſanguis, & non è converſo. Unde cum diu ſint uſi illo uſu & tractatu & nutrimento ſui laboris & in tantum commodatum, ideo contingit. Cur parentes amant plus primum quam cæteros? Reſpondeo, quia novus eſt, & niſi eſſet naturale quod parvi ſic amarentur, multi perirent. Cur conjugales plus amant unicum filium quam quando habent plures? Reſpondeo, quia ſuum pignus habent in eo, & cum in eo non habeant amplius eo, ideo contingit. Cur avus & avia plus cæteris propinquis ſic diligunt nepotes? Reſpondeo, quia ipſi ſunt radices germinis hujus. Unde ſic videntur recuperatum & renovatum quod perditum erat & antiquatum. Cur quidam conjugales ita ſe diligunt ardenter cum ſint extraneo ſanguine?

Re-

Reſpondeo, quia in complexione ſunt ſimiles, & ambo ſanguinei, &c. Vel quia ſe in bona diſpoſitione conjunxerunt. Cur quidam conjugales ſe ſemper habeant odio, licet ad invicem commorantur? Reſpondeo, quia in complexione naturæ ſunt nimis diſſimiles, ut unus ſanguineus, alter cholericus, vel ſe junxerunt in mala diſpoſitione planetarum, vel maleficio herbarum ſunt ligati. Cur fratres carnales ita ſe diligunt, licet habeant odia aliqua offenſa, & ſi quis alterum eorum offendat coram reliquo, ille recurret ſibi repente? Reſpondeo, quia ſunt membra unius ſanguinis & una caro licet ſeparata, id indicium eſt in ſororibus. Cur propinqui prole plus ſe diligunt invicem quam extranei, quamvis morentur diſperſe? Reſpondeo, quia virtus ſanguinis non dividitur, ut patet de fruſtris carnis unius animalis, quoniam ubique eſt ejuſdem virtus. Cur ſanguinei ab invicem extraneantur? Reſpondeo, quia ceſſavit uſus videndi & ſerviendi vel offenſio intervenit. Cur vicinus plus amat vicinum quam longinquum, cum ambo non ſunt de una prole? Reſpondeo, quia ſanguis affinis unius ad alium, & propter uſum ſe videndi & forte ſerviendi. Nam ſanguis habet vim vultui. Cur duo ſocii ſe diligunt? Reſpondeo, quia vivunt uno amore virtutis, quia uterque vult idem. Et indicium eſt de compatribus & artificibus unius artis. Cur Chriſtianus non bene amat Saracenum, & è converſo, licet utantur ad invi-

 cem

cem & ſibi ſerviant? Reſpondeo, quia diſcordes ſunt in virtute, quæ eſt major quam alterius antecedentis. Cur homo plus amat canem quam porcum, & cattum quam leporem, & bovem quam mulum, equum quam aſinum, & ita de cæteris? Reſpondeo, quia quem ex his amat, & eis plus affinis in bona virtute uſus ac ſervitiis. Cur homo plus amat beſtiam quam lignum vel lapidem? Reſpondeo, quia cum eo homo habet affinitatem propter vitam animalem. Cur homo plus diligit lignum quam lapidem, & terram quam aquam, & ignem quam aërem? Reſpondeo, quia magis recipit utilitatem viſibiliter de prædictis quæ plus amat. Cur pueri plus cito ad invicem congregantur & libentius commorantur quamvis ſint diverſæ prolis? Et ita de ſenibus & de maſculis, &c. Et de avibus cum avibus, & non cæteris animalibus terræ, & è converſo? Reſpondeo quia virtus ætatis in ſimilitudine vincit eos ſic facere, unde dictum eſt, *Omne ſimile appetit ſuum ſimile*. Cur frater non ſic inamoratur in ſororem quæ eſt pulchra & delectabilis, ſicut in alienam? Reſpondeo quia ſoror eſt eadem caro, & idem ſanguis, ut probatur de manu ad manum ſolo tactu: quia de tactu propriæ manus non capitur delectatio ſeu voluntas, & ita eſt de ſorore & de omnibus de prole: tamen plus & minus ſecundum vicinitatem lineæ & ſenſuum diſcretionis.

CAP.

CAP. XV.

Signa mulieris gravidæ.

SIgna autem mulieris gravidæ ſunt multa, inter quæ aliqua dicemus hoc loco. Unde ſciendum eſt, quod mulier quando eſt facta prægnans, non in ea die, niſi præſumptione coitus facti: ſed antequam ſit unus menſis completus, ſatis poteſt dignoſci ab ea & ab altero, quia quandoque ſtomachus mulieris ejuſdem tranſmutatur à ſtatu in ſtatum, ut à recto in curvum, & à ſano in non ſanum, gutta vel calore, &c. Nam quandoque mulier in voce fit rauca, quandoque inflatur ſuum crus vel coxa, & quandoque tranſmutatur à ſolitis moribus, ut ſi ſolita erat eſſe humilis, efficitur ſuperba, &c. Item dimidio lunæ non patitur menſtruum, nec in toto tempore gravidationis, niſi ex magno accidente. Quod ſi ſic contingat aut floribus abundat, embryo patitur infirmitatem. Et cum iſtud contingit, ipſa mulier credit perdere fœtum, verum eſt, quod bene eſt in periculo moriendi. Oculi prægnantis diminuuntur, id eſt prægnantis oculi cæcantur? cito fit feſſa multo itinere vel alio labore, acute intuetur. Pupillæ oculorum ſunt clariores, albugo oculorum inalbeatur, id eſt, ſpiſſior apparet, capita mammarum extenduntur, ubera conflantur & indureſcunt à dolore. Sputus fit ſiſcoſior & forte ſputat ſpiſſius. Prædicta

dicta enim ſigna magis contingunt in puella quam in matura annorum, & in priori gravidatione & ſecunda quam poſtea. Sciendum eſt, quod ſigna in gravida vel majori parte & qua patitur fluxum, tempeſtive ſe cognoſcit eſſe gravidam. Et ab illo termino connumerat menſes, venter etiam tumeſcit, dolorem quandoque in renibus ſentit, in urinâ rotunda, circa fundum apparet hypoſtaſis eadem ut nebula campi, velut bombix & omnino macrior quam pinguior, & inceſſu aliquantulum gravior poſt quartum menſem.

CAP. XVI.

Signa maſculi concepti in muliere gravida.

SIgna maſculi concepti in muliere gravida ſunt iſta. Mamma dextra fit groſſior & durior paulatim, id eſt, de die in diem, verum eſt quod poſt duos menſes fortius patet & deinceps donec latet, groſſior manet, ſi ſiniſtra ſit groſſa, unde qui hoc novit, ſi nutricem inveniat lactantem & videat diſcrete ambas mammas, poteſt ei tute dicere, ſcio quid peperiſti, & notata mamma ei dicat, tunc audientes valde mirabuntur. Volens dicere judicium pro majori parte dicat quæ ſi fuerit dextra, dicat maſculum, & ſiniſtra fœminam. Idem fiet in facie colorata plus ſolito, pellis in facie clara & munda & delectabilis. Fit etiam macrior ſolito acbene comedit

medit

medit & bibit, levis incedit ac ſe ſentit in pedibus, niſi ſit per accidens. Venter fit rotundus & in pelle extenſus ac durus ſentitur tactu, nec turbatur multum levi occaſione. Motus in ventre fit frequens, id eſt, de die & de nocte. Sciendum eſt, quod ſi mulier concipiat maſculum in ſiniſtra parte, conceptus non eſt tam bonæ complexionis velut in dextra.

CAP. XVII.

Signa fœminæ conceptæ in muliere gravida.

SIgna fœminæ conceptæ in muliere gravida ſunt iſta. Mamma ſiniſtra efficitur groſſior dextra, plenior & durior: tamen eſt quodammodo mollis ad inſtar pulmonis, habens fruſtula cujuſdam duriciei in eadem, hoc eſt, poſt tres menſes de die in diem paulatim. Venter plus longus quam rotundus & parum extenſus ac durus, in facie fit panicula, & in corpore pallida, niſi ſit per accidens. Fit etiam pinguis in carne plus ſolito, cito debilitatur levi labore & ingreſſu viarum, & ſe frequenter ſentit gravem, nec habet bonum appetitum edendi, debilior eſt & pavidior ſolito, occaſione ſputum facit viſcoſum, & flatus ei minoratur voce, cito perturbatur exagitatione contrarii cibi, gravem habet portatum ex fœmina reſpectu maſculi: quæ ſi conceperit in dextro latere, quod raro contingit, puella erit melioris complexionis,

& mater ſe melius habebit, & è converſo. Raro etiam ei movetur venter.

CAP. XVIII.

Signa probabilia, quibus ad oculum & intellectum ſcitur, an mulier ſit gravida maſculo vel fœmella.

MUlta ſunt ſigna in genere & ſpecie, quibus omnis homo ſagax poteſt perpendere in muliere gravida, utrum habeat in ventre maſculum vel fœminam, ultra illa quæ ſupra diximus, & hæc accidunt. Lac prægnantis immiſſum palmæ manus prius mundæ, quam ſtringas palmis ambabus, & tunc aperi & vide illius diſpoſitionem. Nam ſi fuerit in ſubſtantia ſpiſſum & non aquaticum, ſignum eſt maſculi. Si vero fuerit aquaticum, & non bene tenax, tunc eſt ſignum fœminæ. Alius modus, mulgeatur lac ſuper ſpeculum & ibi permittatur ſiccari ad ſolem, quod ſi ſiccatum fuerit in modum per ſe, veriſimiliter eſt ſignum maſculi. Et ſi fuerit extenſum ex latere ſiccatum, ſignum eſt fœminæ. In chiromantia eſt illud experimentum, fac tibi oſtendere unam manum à gravida quam volueris, & tunc conſidera manum & ejus monſtrum, quæ ſi fuerit dextra, eſt ſignum maris, & ſiniſtra, eſt ſignum fœmellæ conceptæ.

CAP.

CAP. XIX.

Quomodo cognoſcatur, quot filios unaquæque mulier debet habere, viſo primo partu.

UT quilibet ſciat, quot filios unaquæque mulier debeat habere viſo primo partu, dicimus, quod ſi infans exierit de ventre matris ſuæ, ac ceciderit deorſum, levatuſque fuerit de loco per obſtetricem, aſpiciendi ſunt nodi illius umbilici, qui irrogatur matrici, & quotquot fuerint, tot filios poteſt adhuc habere & portare, propter quid non amplius. Sed ſi nullus fuerit, culpa erit ſua & non viri, ſi deinceps non generabit. Sciendum, quod ſi mulier nullum nodum habuerit, in ſe nullum filium poteſt generare, dato quod omnia bene faciat & quæ ſunt neceſſaria ad concipiendum. Et omni vice mulier perdit nodum unum, qui incidit quoties parturit radicem. Quæro quot maſculos ſit quæque mulier conceptura primo filio hoc modo nato, quia quot coronas capillorum habebit, vel habuerit in capite quadam ſimilitudine, tot maſculos eſt paritura. In ſecundo vero partu una corona ſignificat unum partum maſculum, nullum autem fœmineum, vel neminem alterius generis. Signum geminorum eſt iſtud in una gravida, quoniam ſi ambo fuerint maſculi, ambæ mammæ creſcunt æqualiter, & mulier eſt macra plurimum, & bene colorata. Et ſi unus eſt maſcu-

lus, & altera eſt fœmina, dextra mammilla eſt dura, & mulier in facie illius partis eſt macra & colorata, & in altera parte eſt epinguata aliquantulum & pallida, vel panicolata, venter multum tumeſcit, & in dextro latere ſemper fit motus, & fortis, in ſiniſtro vero rarus & debilis.

CAP. XX.

Signa, quomodo cognoſcatur in gravida, ſi embryo eſt ſanus, vel infirmus, victurus ſatis, vel moriturus cito, tam in ventre matricis quam extra.

SIgna ſanitatis & infirmitatis embryonis ſunt multa, de quibus volumus hic aliqua denotare. Verbi gratia, dum cognitum eſt, cujus generis ſit embryo, ſic dicimus, quod ſi mammilla ſignificans embryonem prius fuerit plena & dura convenienter, & poſtea efficiatur mollis, embryo eſt infirmus: ſi vero nimis fuerit mollificata & prius erat multum extenſa & plena: mulierque doloribus tormentetur: embryo penitus morietur ante partum vel in partu, juxta convenientiam ætatis conceptæ, & è converſo. Exitus lactis à mammilla prægnantis eſt ſignum brevis vitæ in embryone, & tunc patitur ægritudinem. Si vero cum prægnatur, eſt bene ſana, & gravidatione ſua moratur, & mammillæ non refranguntur à virtute ſui augmenti, & duricie, nec lac diffundat abſque violentia; ſignum eſt ſanitatis & vitæ embryonis.

nis. Per contrarium deſuper fluxus menſtrui vel ſanguinis in gravida, eſt ſignum infirmitatis embryonis, potus aquæ frigidæ. Similiter gravida ſi nimis gravetur ſui, & pavida efficiatur, & diffidat, eſt ſignum ægritudinis in embryone, & parvæ vitæ, ſive non: huic ſermoni addimus iſtam doctrinam, quod gracilitas mammillarum in muliere ſignificat paucitatem lactis. Sed tale bonum eſt, & pingue, ut patet in lacte ovis reſpectu illius capræ, vel fructus, item caſeo utriuſque. Lac etiam dextræ mammæ melius eſt illo ſiniſtræ. Nato infante, ſi viſitetur à perſona ſignum Salomonis habente, ante nonum diem puer moritur aut penitus in brevi. Si etiam prægnans ſuper tranſeat ſignum Salomonis, abortitur cito. Et ſi plus naſcatur ſuper aliquam mammillarum, embryo infirmatur, & forte ipſa mulier. Si mammilla lactantis in ore infantis multum teneatur, ei dentes cito naſcuntur, & ſine dolore. Et ſi gingivarum inflationes ſunt, lac mulieris nigræ, & brunæ, & macræ, quam craſſæ eſt melius infanti ad eum nutriendum.

CAP. XXI.

De animalibus in genere & in ſpecie.

DIfferentia animalium tam in genere, quam in ſpecie multiplex eſt: ſcilicet natura, proprietate, nutrimento ciborum ac diſſimilitudine ſui membraliter, & quod ſic implicant

ad multa & ad diverſa. Unde ſciendum eſt, quod animalium bipedum, quadrupedum & deinceps, quædam naſcuntur ſemel, ut homo & bos: Quædam autem bis, ut gallus & columbus: ſcilicet primo ovum, poſtea pullus; quædam ter, ut papilio, quia primo generat, & eruca facit ovum in folliculum, & ex illo naſcitur vermis, qui converſus in papilionem rumpit folliculum & volat. Item naſcuntur parva & ſtant parva: & efficiuntur magna, ut canis, felis, agnus, porcus, homo, bos: quædam efficiuntur maxima, ut elephas. Item quædam ſunt domeſtica, & quædam mediocria, inter utraque. Sciendum eſt, quod aliqua ſunt, quæ cito domeſticantur, & quædam tarde & difficulter. Quæ naſcuntur domeſtica, ſunt homines, canes, & oves. Quæ vero ſylvatica, ſunt pulli, capræ, & ſunt pulices, lepores & cancri. Quæ vero naſcuntur partim domeſtica, &c. partim ſylveſtria, Item animalium quædam continent unam naturam & complexionem ſui, ut homo & bos. Quædam efficiuntur menſtruoſa propter diverſitatem complexionis naturæ, ut minotaurus, hippocentaurus, lamina & ſirena: Item animalium quædam morantur ſimpliciter in uno elemento, ut ſalamander in igne, talpa in terra, cameleon in aëre, halec in aquis. Quædam vero morantur commixte inter cætera elementa, ut formicæ alatæ, lacertæ & aves. Item animalium quædam generantur per coïtum, ut homo, bos, equus, quædam ſine coïtu, ſed ex ſola corruptione elementorum, ut ſcor-

ſcorpio, anguilla & rana; quædam in ovo, ut gallus & pavo, & major pars piſcium. Sciendum eſt, quod ſecundum ſignificationem animalium ab elementis, omne animal illis utitur, & requirit in ſuo nutrimento, unde quia piſces plus ſunt ex aqua, quam de cæteris elementis, vivunt in ea & eam appetunt, aves de aëre, homo de terra, &c. Sciendum eſt, quod quanto plus avis eſt volatrix, & eſt majoris volatus in altum, tanto plus eſt in aëre & propinquans aquæ ex aqua, ut patet de aquila, falcone, groto, & de conchili. Et ſi animal aliqua occaſione ceſſet à nutrimento ſui elementi, cito mutatur in ſtatum pejorem, & ægrotat. Item animalium quædam ſunt mollis ſubſtantiæ, & quædam duræ: quædam longæ, quædam brevis, quædam groſſæ, quædam ſubtilis, quædam latæ, quædam ſtrictæ. Quædam parum vivunt, quædam multum vivunt, quædam facile moriuntur, & quædam difficile. Item animalium quædam habent corium cum pilo, ut equus, quædam lanam, & partim pilum, ut aſinus, & quidam piſces. Quædam habent pellem ſine pilo, & ſine lana, ut vermis terreſtris. Quædam habent pilos & capillos, ut homo tantum. Quædam habent ſetas & pilos, ut porcus. Quædam ſpinas, ut chius, & porcus ſpinoſus. Item avium quædam habent in pelle pennam, quædam ſquamam, quædam ſpinam, quædam groſſam & aſperam, quædam ſubtilem & mollem. Item omnium animalium quædam habent labia,

ex quibus dicitur os: quædam non labia, ſed aliquid loco oris, & tunc dicitur muſcum vel grunnum, vel roſtrum, vel fiſtula. Et ſic quædam habent os, ut homo: quædam muſcum, ut canis, quædam roſtrum, ut aquila, quædam foramen, ut elephas. Item animalium quædam habent dentes in ore, ut homo, & canis, quædam ſcripturam, & non dentes, ut anſer. Item animalium quædam habent in capite cornua: quædam nares, quædam baïſſas. Item animalium quædam habent duos pedes, quædam quatuor, quædam ſex, quædam octo, &c. Item animalium quædam vadunt, & non volant, quædam volant, & non vadunt, & quædam quandoque vadunt & quandoque volant. Item animalium quædam longum, quædam breve, quædam habent roſtrum ſubtile, quædam groſſum, quædam rectum, quædam tortum, quædam latum, quædam ſtrictum, quædam acutum, quædam ſummum. Item animalium quædam habent in corio ſive pelle multam ſuperfluitatem, & quædam paucam, ut pili, lanæ, plumæ, ſpinæ, mucilagines, & ſquamæ. Item quædam habent criſtam: ut gallus, & quædam galeam, ut upupa, alaudula & pavo. Item omnium habentium caudam, quædam habent brevem, quædam longam pilorum vel ſetæ, vel carnis, vel pennæ. Homo & ſimia carentes cauda, loco ejus habent muſculos in cruribus. Quædam vero habent caudam & habent pulpas carnis elevatas in cruribus. In animalibus creſcunt cornua, ungulæ, pili, lanæ,

ſera,

ſera, capillus, penna, ſquamina, pinguedo, medulla, & ſpina. Item animalium quædam vivunt in ſocietate libenter ſui generis: ut apes, grues, columbi, formicæ, aves, &c. Quædam vero ſolitariæ, ut ſcorpio, & aranea. Item animalium quædam ſunt multi coïtus, ut vir, avis, perdix, columbus, gallus, paſſer, & muſca. Quædam vero pauci coïtus, ut mulier, ovis, catta, turtur, veſpa. Item animalium quædam ſunt multi clamoris, ut homo, canis, porcus, columbus, rana, paſſer, &c. Quædam vero pauci, ut grues, lepus, mulus, &c. Item animalium quædam naturaliter ſunt pacifica: ut oves, formicæ, agni, & hirundines. Quædam vero bellicoſa, ut grues, ciconiæ, galli, hædi, &c. Item animalium quædam recipiunt doctrinam bonorum morum cito, ut homo, canis, ſimia, &c. quædam tarde, ut bos, equus, quædam nunquam ut ſerpens, rana, muſca, &c. Quædam ſunt pacifica & timida, ut ovis, & cerva, quædam ſimplicia, ut aſinus, quædam ſapientia, ut equus & canis, quædam aſtuta, ut draco & ſerpens, quædam frauduloſa in malo, ut vulpes, lupus, & ſcorpio, quædam fortia & audacia, ut Leo, urſus, draco, canis ligorius, & quædam ingenioſa, ut homo & ſimia, quædam verecunda, ut anſer, & homo: quædam inverecunda, ut rana, muſca, aſinus, porcus, & quædam velocia, ut Leo, lepus & cervus, quædam vero pigra, ut aſinus & porcus.

CAP.

CAP. XXII.

Diviſio capituli de animalibus.

OMNE animal habens pulmonem, habet vocem, & è converſo. Omne animal habens ſanguinem, habet cor & hepar, & è converſo. Omne animal carens ſanguine eſt parvi corporis, valde timidum & debile, ut muſca, vibio, cancer, & aranea, & è converſo, ut patet de viro, bove, leone, &c. Omne animal carens ſanguine, eſt pauci cibi, & è converſo: Omne animal longorum crurium, eſt longi colli: ut ſunt grues, Ciconiæ, cochales, & è converſo: gallinæ, paſſeres, columbi, &c. Omne animal non lactans, non mingit, ut anſer, columba, gallina, & è converſo, ut homo, bos, ovis, &c. Omne animal carens pulmone, caret gula, & collo; ut piſcis, cancer, graneus, cimex, &c. Omne animal carens pedibus, caret gula: ut piſcis, ſerpens, ruxa, lumbricus, & vermis terreſtris. Omne animal ovans caret veſica, ut gallina, pavo, &c. Omne animal generans habet veſicam, ut homo, porcus, & è converſo, ut rana, & muſca. Omne ovum longum & acutum in puncta reddit genus maſculinum, & è converſo, ut rotundum. Omne ovum duorum vitellorum eſt duorum pullorum. Omne animal ſæpe ſpargens ſemen ſuum, cito caneſcit: ſi diu vivit, cito moritur frequenti turbatione afflictus ac, citius moritur non

non ſpargente, ut patet de viro reſpectu fœminæ. Omne animal quanto plus eſt calidæ naturæ, tanto magis creſcit longitudine & craſſitudine, ac etiam eſt fortius & audacius, ut patet de viro reſpectu mulieris. Omne animal multum calidæ naturæ groſſam vocem habet, ut patet de viro reſpectu mulieris. Omne animal habens umbilicum cibatur per illum donec eſt in ventre matris ſuæ, & non per os. Omne animal pingue eſt inceſſu tardius macilento, & eſt groſſioris intellectus in omni, ut patet in viro pacato, & porco bene pingui, reſpectu malilentorum. Omne animal eſt calidius in dextro latere, quam in ſiniſtro: & ad comedendum plus delicatius, plus etiam eſt in carne, & minus in adipe. Omne ovum longum eſt calidius ac delicatius rotundo, cauſa eſt, quia maſculum. Omne animal fœmininum nimis craſſum non poteſt concipere: cauſa eſt propter frigiditatem matricis & ſui clauſuram, cum ſit parum aperta propter adipem. Omne animal fœmininum habens matricem ſuffocatam, vel cadentem extra, non poteſt concipere. Omne animal nimis ſanguineum cito ex facili putreſcit prope oſſa, & apoſtematur vel infirmatur. Omne animal bene groſſum paucum habet ſanguinem & curabilem, & libenter bibit & ſatis, ut patet de porco. Omne animal habens ſanguinem, habet cerebrum & nervum, & è converſo. Omne animal volatile habens ungues curvos & roſtrum, vivit de rapina: coxas habet pulpoſas, & pectus groſſum ac forte. Omnes piſces

corti-

corticales ovant præter anguillam & ranam. Omne animal habens pellem groſſam, pilos habet groſſos, & aſperos, & ſquamas, ſi eſt piſcis, præter anguillam & tineam, quæ loco ſquamarum habent exuviam & mucilagines: ut patet de porco, cane & bove, &c. reſpectu felis, &c. Omne animal ovans parum dormit: & curtos facit ſomnos. Omne animal habens plus quatuor pedibus, caret ſanguine: ut patet in cancro aquæ dulcis, & ſalſæ, qui habet decem,ſed loco ſanguinis habet alium humorem: ut patet in ape, muſca, aranea, &c. Omne animal rugoſum caret ſanguine & cito moritur, habet pennas & ſquamas vel aliud loco prædictorum: ut formica alata. Omne animal habens mammillas,eas habet ſub ventre vel prope coxas, præter mulierem quæ habet eas in pectore. Omne animal generans omnino habet aliquot pilos, & è converſo. Omne animal habens cornua, habet pedes ſciſſos: ut capra, bos, &c. Omne animal habens dentes acutos, habet labium ſuperius ſciſſum, ut canis & catta reſpectu aliorum, videlicet bovis, equi; &c. Omne animal habens dentes ſpiſſos & fortes in opere, eſt ſanæ vitæ & longæ: ut equus, aſinus, &c. Omne animal habens dentes acutos vel rectos eſt magnæ iræ, & libenter comedit carnes crudas, ut Leo,canis, urſus,& è converſo: ut homo, equus. Omne animal volatile & natans caret medulla multa in oſſibus, ut anſer reſpectu gallinæ. Omne animal multi ſanguinis eſt bonæ diſpoſitionis reſpectu cæterorum

rum humorum. Omne animal volans caret mammillis: ut patet in gallina, ave, & formica, &c. Omne animal parvi corporis plus cantat, quam magni corporis: & maxime tempore ſui coïtus, ut patet in philomela, & columba. Omne animal & omnis avis diligit ſuum fructum & gerit curam ſolicitam de illo, præter cuculum, quæ facit ova in alieno nido: & non alit: & præter corvum, quæ deſerit pullos uſque in tertiam diem: cauſa eſt, quia pluma eſt alba. Omne animal naturaliter cognoſcit ſuos filios & primum & ſecundum, & eis præbet prius cibum & nutrimentum, &c. Omne animal generans plus dormit ovante. Omne animal aquoſum minus dormit aëreo: ut patet in piſce reſpectu avis. Omne animal dormiens ſomniat in ſuo gradu. Omne animal maſculinum eſt in membris ſuis quodammodo minus fœminino, ut patet in cancris, & anguillis, quoniam caput maſculi eſt minus capite fœmellæ, & pinguis fœmina eſt major maſculo. Omne animal carens ſanguine fugit ipſum libenter propter ejus dulcedinem, ut patet de muſca, ſerpente, &c. Omne animal habens cor eſt ſapientius non habente, ut patet de viro & vulpe. Omne animal magni pulmonis ſatis bibit reſpectu habentis parvum. Omne animal non habens, parum bibit, & è converſo. Omne animal vivens de rapina parum bibit, ut patet de falcone, &c. Omne animal generans animal, habet fœmineum ſexum, præter leopardum. Et hæc de animalibus & eorum differentiis ad præſens dicta ſufficiant.

IN-

INCIPIT

Secunda Pars

Secretorum Naturæ.

CAP. XXIII. & XXIV.

REVERTENTES autem ad doctrinam phyſionomiæ in hominibus & beſtiis, dicimus, quod animæ ſequuntur corpus, & ipſæ animæ ſecundum ſeipſas non ſunt paſſibiles à motibus corporis in quibus morantur certo ſpacio vitæ temporalis, in cujus ultimo ſeparantur, & corpus manet. Hoc autem manifeſtum eſt de motibus exceſſivis per ebrietatem vini, vel amoris, vel triſtitiæ, laboris & ægritudinis. Cauſa eſt, quia corpus & anima ſunt unius compoſitionis, unde agunt & patiuntur. Sciendum eſt quod inter cætera animalia non eſt turpius animal videndum ſine ornatu alterius, quam homo, dum eſt nudus, neque pauperius. Nam beſtiæ terræ nutriunt ipſum donec vivit, ut aves cœli, &c. Verbi gratia, ſol dat ei lucem, bos ei conterit & colit terram, & ei omnia ducit de loco ad locum, ovis dat ei lanam, & terra lignum, avis dat ei pennam, &c. Sunt enim multa animalia, quibus per conſuetudinem multi homines & multæ mulieres

ſieres appropriantur propter beſtiales mores, quos habent & trahere videntur extra uſum humanæ naturæ, ſe applicantes moribus beſtiarum; non tamen dicimus, quod ipſi homines ſunt ipſa animalia: Sed in tantum appellamus beſtiales, in quantum videntur aberrare ab humana ſapientia. Et ſæpe dicuntur ac proprie appellantur ab his hominibus, qui habent odio mores beſtiales, uti hoc exemplo, vide hunc Leonem, hunc Porcum, hunc Aſinum, hunc Canem, hunc Vulpem, hunc Lupum: hunc Imperatorem; hunc Abbatem, hunc Monachum, hunc Sanctum, hunc Angelum: Item audiatis illum Leonem, ſcilicet quia rugit in Leo, & clamat fortiter, ſicut Leo, & ita de cæteris ſimilibus. Mores enim hominum non ſunt, niſi paſſiones compoſiti corporis & animæ. Et tales non conveniunt alicui ſemper, niſi quantum diſconveniunt ab uſu gentium in loco regionis cohabitantium. Sunt autem multa ſigna phyſionomiæ, quæ penitus ſunt communia tam in hominibus quam in aliis animalibus: ut timor, fortitudo, audacia, gaudium, triſtitia, amor, odium, ſanitas & ægritudo. Tamen ſciendum eſt, quod phyſionomia non eſt recta in beſtiis ſicut in hominibus, quorum judicium eſt ſolo viſu ſapientis in membris paucibilibus, verum eſt quod auditu & tactu habetur certa cognitio hominis. Nam videndo virum, convenienter habemus judicium de illo, & ſic ſimiliter de muliere: verbi gratia, in viſu naſus longus & groſſus ſigniſi-

gnificat præputium magnum, & è converſo, & ſuper hoc dicit quidam & bene:

Ad formam naſi dignoſcitur haſta priapi.

Et in muliere pes eſt ſignum, quia ſi fuerit ei pes longus, & ſtrictus, ac macer, ſignificat vulvam longam, ſtrictam ac macram, & è converſo. Item menſura medii pedis nudi eſt menſura longitudinis vulvæ totius unicuique. Unde dicit quidam, *ad formam pedis cognoſces vas mulieris.* Subtilitas pellis in vulva & virgine cognoſcitur per conditionem labiorum oris in unoquoque: quia groſſa labis oris, ſignificant pellem groſſam, & ſubtilia ſubtilem. Nares naſi ſignificant teſticulos hoc modo: quia groſſæ & latæ ſignificant groſſos & latos teſticulos: ſubtiles vero ſtrictos, & parvos in omni: quorum officium dixit quidam.

Teſticuli nudi feriunt ad labia culi:
Nec tantum feriunt, poſſunt ſaturare foramen.
Semen conſervant, ipſum quoque ſpandere curant.

Cognoſcitur enim omnis juvenis de virginitate & corruptione per multa ſigna, uterque ad pirulam naſi, quia manente virginitate cartilago pirulæ naſi ſentitur indiviſa. In maſculo virga erecta diſcooperitur, & è converſo. Et in muliere os vulvæ inſinuatur. Item dicimus, quod ſigna communia pro ſcientia non reputantur, ut viſus oculorum, &c. Cauſa eſt, quia omnes gentes bene ſciunt, quod

quod per oculos eſt viſus, & per aures auditus. Unde ſi quis diceret, talis videt, quia habet oculos, jam derideretur, & ita de ſene propter ſigna publica ſenectutis. Aves ad pennam cognoſcuntur & ad ungues, equi ad dentes, & caperæ ad oculos, &c. Unde ſi dicatur, Leo eſt fortis beſtia, porcus immundus, ſerpens audax, felis timida, &c. Prædicta enim & ſimilia ſi voce aliqua dicerentur ab aliquo, pro ſcientia non reputarentur, eo quod talia ſigna ſunt communia & omnibus nota: unde in his nemo dubitat, ut viſu vel communiter auditu. Item dicimus, quod nullus homo vidit unquam hominem veraciter ex toto eſſe ſimilem beſtiæ, licet dicatur de ſimiis, ſed aſſimilatur comparatione naturæ in aliquibus, ut in menſtruoſis: in quibus non contradico, immo poſſibile eſt per artem & per naturam ut fiat hyppocentaurus & minotaurus. Unde nemo poteſt phyſiognomicare per ſigna communia ſive ſigna propria tantum; quæ licet omnes poſſent homines, tamen non omnia habent in ſe. Quis enim dubitat de ſignis communibus, & ea quæ quis non novit, & ideo homini ſapienti non convenit quod coram aliquo dicat aliquod ſignum de communibus, ut videns hominem fortem ex experientia, dicat ille eſt fortis ut Leo, bene quidem ſcitur quod ille eſt fortis ut Leo, &c. Oportet enim nos determinare ſapienter omnia & ſingula quæ proprie dant ſcientiam phyſionomicandi, ut ex hac ſcientia quiſque eam

eam ſcientiam, ut dicemus aperte in ſequentibus, valeat inter gentes, omnem reverentiam & honorem famæ cum proficuo adipiſci, ſingula enim illorum quæ dant phyſionomiam in hominibus ſunt ea, quæ in eis ex motibus corporis, ſcilicet ex forma vel figura, à ſimilitudine cujuſlibet membri, etiam ex colore, in ejus levitate & gravitate inceſſus, flatu & voce, &c. Sciendum eſt igitur quod membrorum corporis hominis, ad quæ proprie pertinet ſcientia phyſionomiæ, aliud eſt ſimplex, ut lingua, hepar. Aliud vero compoſitum, ut pes & manus. Quomodo autem hæc omnia ſint & habeantur in unoquoque hominum, cui tradimus prænominatam ſcientiam, & non alterius animalis per ordinem capitulorum ſub ſuis rubricis, velut nobis videbitur, ſicut & quibuſdam aliis viſum fuerit, ut Hippocrati, Galeno, Alminſori, ſufficienter dicemus. Sed antequam veniamus ad totam intentionem noſtri ſermonis ex prærogativa dicimus, quod valde cavendum eſt in omni tempore ab obviatione & ſocietate hominis infortunati, opus naturæ ſuperioris, ut ab homine, cui diminutum ſit aliquod membrum, ut oculus, manus, &c. Cauſa eſt, quia quilibet talium eſt factus infelix & ſua infelicitate obſtat felici. Et hoc præſtat in multis documentum, quod oſt occultum homini ignaro, cum ipſe non poſſit perpendere de hoc, niſi per viam hujus doctrinæ, vel per experientiam ſui mali. Nam

omnis

omnis homo ſe melius poteſt cuſtodire à ſuo publico inimico jam facta offenſa, quam ab homine infortunato. Cauſa eſt, quia nocumentum in fortuna eſt occultum, inimici vero publicum. Et eſt ſciendum, quod non eſt creatura tam bonæ complexionis, quæ ſi membro diminuatur, quod non mutet ſtatum ſuum aut in pejus ſoluto vel multo in melius, quod raro contingit, ſi diu vivit. Unde dictum eſt, *Cavete à ſignatis*. Et alibi, *in homine ſignato in aliquo membro non confidas.*

CAP. XXV.

Signa complexionis ratione coloris in facie.

COlor albus in facie, vel fuſcus intermixtus quaſi albedine & glaucedine, ſive color gipſeus & plumbeus naturaliter ſignificat frigidam complexionem. Color rubeus & ruffus in facie compoſitus albedine cum multis lentiginibus ſignificat calidam complexionem. Color albus in facie cum mollibus motibus, ac intermixta rubicunditate ſignificat temperatam complexionem. Color in pelle lividus & etiam in unguibus ſignificat malam & frigidam complexionem.

CAP. XXVI.

Signa complexionis ratione coloris in corpore.

COrpus in pelle album & ſiccum in carne habens aliquod vel multum rubei coloris

in locis congruis, ſignificat dominium choleræ rubeæ. Corpus in carne craſſum & in pelle album & convenienter coloratum ſignificat dominium ſanguinis. Corpus in colore brunum & in carne craſſum, cum aliquantulo coloris rubei, ſignificat dominium ſanguinis cum melancholia. Corpus gracile ſive macilentum ſignificat dominium choleræ rubeæ. Corpus mediocre, ſcilicet inter macrum & craſſum, & inter album & brunum, ſignificat dominium ſanguinis cum phlegmate & aliquantulum melancholiæ. Corpus quod tactu ſentitur valde calidum, ſignificat complexionem calidam. Corpus quod ſentitur frigidum magis quam calidum, ſignificat complexionem frigidam. Corpus quod tactu ſentitur aſperum, ſignificat ſiccam complexionem. Corpus quod tactu ſentitur molle, ſignificat complexionem humidam. Corpus quod ſæpe ſudat, ſignificat frigidam complexionem. Corpus leve & ſubtile inceſſu ſignificat bonam complexionem. Corpus grave ac pigrum inceſſu ſignificat malam complexionem.

CAP. XXVII.

Signa corporis calidæ complexionis.

CORpora naturaliter calida cito creſcunt & bene, ut patet in infantibus, ac impinguantur vel deſiccantur, venæ nec apparent ſibi per loca, anhelitus eis eſt manifeſtus, vox fir-

firma, fortis & groſſa. In coitu ſunt fortia & eorum appetitiva. Bene comedunt, & digerunt ac geſtant, multis abundant capillis, & pilis per loca, qui partim ſunt groſſi, & ericii, quod contingit à multo calore cordis, ut patet in leone, gallo, &c.

CAP. XXVIII.

Signa corporis frigidæ complexionis.

COrpora natura frigida, tarde creſcunt, parum impinguantur. Venæ apparent ſibi manifeſtæ, & magnæ, anhelitus eis parvus vel quaſi abſconditus. Vox in auditu ſubtilis vel acuta: in coïtu ſunt debilia & raro eorum appetitiva, parum comedunt, male digerunt, & geſtant, in pelle ſunt albo ſive roſeo colore. Capilli eorum ſunt extenſi & longi, ſive ſint nigri ſive albi, & ſunt ſubtiles: facile timent, & expaveſcunt, & ad laborandum ſunt debilia.

CAP. XXIX.

Signa corporis humidæ complexionis.

COrpora naturaliter humida in carne ſunt mollia & levia, eorum juncturæ ſunt occultæ, & paucæ fortitudinis. Unde parum poſſunt durare laborem, timida ſunt & pavida quaſi ab omni, male dormiunt. Sæpe moventur ad luxuriam, nuda ſunt pilis. Eorum oculi

ſemper lachrymant. Pili & capilli eorum ſunt extenſi & ſubtiles, & boni ingenii ad diſcendum.

CAP. XXX.

Signa corporis ſiccæ complexionis.

Corpora naturaliter ſicca, in tactu ſentiuntur aſpera, in carne ſunt macra, in labore fortia & durabilia, libenter & convenienter comedunt, juncturæ membrorum ſibi ſunt manifeſtæ. Capilli & pili ſunt groſſi, aſperi & criſpi.

CAP. XXXI.

Signa corporis temperati & ſani.

Corpora temperata & ſana bene comedunt & bibunt juxta convenientiam ſui, digerunt, & diſponunt res & ſapiunt bene, & fameſcunt in horis convenientibus, gaudent cum gaudentibus, bene dormiunt ſuos ſomnos, levia ſentiunt & vadunt leviter, cito ſudant, raro vel nunquam ſternutant, mediocriter impinguantur, in facie ſunt colorata, in tactu ſunt calida, in eis quinque vigent ſenſus convenienter juxta convenientiam ætatis, corporis & oris.

CAP. XXXII.

Signa corporis diſtemperati & male ſani.

Corpora diſtemperata, & male ſana in omni ſunt diſſimilia corporibus temperatis &

& bene ſanis. Unde male comedunt & non curant bibere, male digerunt, & diſponunt res ſuas, non bene ſapiunt in horis convenientibus, non ſe plene tribuunt gaudentibus, imo quaſi triſtificantur & manent triſtes, male dormiunt ſuos ſomnos, graves ſe ſentiunt & graviter vadunt & raro ſudant vel non ſudant; oſcitant ſæpe vel ſternutant, brachia extendunt, facie ſunt pallida vel nimis colorata, quinque ſenſus male vigent, non poſſunt diu ſufferre laborem, cito rerum oblivifcuntur, multum ſputant, in naribus abundant ſuperfluitatibus, quaſi ad omnia ſunt pigra, quandoque pedes & manus & oculi lachrymantur.

CAP. XXXIII.

Signa complexionis cerebri.

PArvum caput naturaliter habet parvum cerebrum, & multitudo capillorum eſt maxima defenſio capitis. Unde de complexione cerebri ita dicimus.

Si cerebrum fuerit calidæ complexionis, homo ipſum habens in tactu ſentit multum abundans, & hi multum ſunt groſſi, oculi ejus longe vident, & videndo diſcernit, pervigil eſt ſenſus, celer argumento, color capillorum diu durat, raro abundat ſuperfluitatibus in naſo, vix ei oculi lachrymantur, & eſt homo magnæ vigiliæ, cupidus quaſi omnium pulchrorum & corde tendit ad nobilia.

Si cerebrum fuerit humidæ complexionis, homo ipſum habens in tactu ſentitur mollis & laſcivus, & capillis abundat ſubtilibus, & ei cito color tranſmutatur, & eſt etiam luxurioſus, ſæpe ſibi lachrymant oculi, & forte aliter infirmatur ut ſanguine, &c. vivit breviter, in naſo ei abundat multa ſuperfluitas, vox ei ſonat aliquantulum impedita, caput ſæpe dolet, in perſona eſt debilis, ex facili eſt pavidus, teneri eſt ingenii, plus eſt condolens alterius mali, & plus ſimplex quam ſapiens, & vani propoſiti.

Si cerebrum fuerit frigidæ complexionis, homo ipſum habens eſt ſæpe piger, tardi intellectus, dum capacitatis, groſſi ingenii, ejus capilli ſunt leves & extenſi, tarde creſcunt, & in colore ſunt albi vel quaſi plumbei. Ejus oculi raro moventur, & breviter videt, magnus vigilator de nocte, ſtabilis propoſiti, in labore tenax & largus loci ratione, in tactu ſentitur frigidus & mollis, & eſt ſubtilis ingenii, aliquantulum ad diſcendum ſagax.

Si cerebrum fuerit ſiccæ complexionis, homo ipſum habens, capilli ejus tarde & tempeſtive creſcunt, unde in longum non cito creſcunt, at breves morantur & rari ſunt in cute ac groſſi in ſubſtantia, & plus curti quam extenſi, cito in canitiem convertuntur & de facile cadunt de capite, ut frondes de arboribus, oculi longe vident, & eſt homo temperati inceſſus & motus, in naſo non multum abundant ſuperfluitates, niſi ſit exigendi cauſa, caput ſæpe dolet, homo eſt duri ingenii, vanus, & malæ capacitatis.

Si

Si cerebrum fuerit calidæ & ſiccæ complexionis, capilli naſcuntur flavi, fortes & curti: vel nigri, vel criſpi: homo eſt multum luxurioſus & ideo cito caneſcit, parum dormit noctu, eſt magni ingenii & repentini intellectus, apprehenſionibus, levis in eundo & ſaliendo, videt procul, & eſt vanus in agendis, ac ei eſt raro ſuperfluitas in naſo.

Si cerebrum fuerit frigidæ & humidæ complexionis, homo libenter dormit, quamvis male dormiat, hebes eſt in factis, ſæpe aggravatur paſſionibus rheumaticis, & principaliter in capite, & in oculis: frequenter abundat ſuperfluitatibus in naſo, parum comedit & bibit.

CAP. XXXIV.

Signa complexionis cordis.

Cordis complexio ſi fuerit calida, pulſus eſt velox, pectus aliquantulum eſt piloſum, ultra ætatem adoleſcentiæ, in carne eſt calidus, eſt boni appetitus, in factis audax, in verbis aſper, in dando tenax, obſtinatus, ſuperbus, iracundus, luxurioſus. Si cor fuerit frigidæ complexionis, pulſus eſt ei tardus, pectus nudum à pilis, tactus carnis frigidus, duri appetitus, debilis fortitudinis, anhelitus arctus, vox ſubtilis & debilis quaſi piger in factis, in verbis non bene placidus, leviter pavidus, non bene comedit, & raro luxuriatur niſi ſit per accidens. Si cor fuerit humidæ complexionis, homo a-

bundat capillis multis,qui fiunt longi cito & extenſi, in colore albi, vel blandi, multis abundat pilis, excepto in pectore,in tactu carnis mollis, & eſt in colore albus vel fuſcus & aliquantulum eſt pinguis, multum timidus, pavidus, hebes, & debilis in laborando. Si cor fuerit ſiccæ complexionis,pulſus eſt ei durus, corpus totum eſt muſculoſum , in carne macrum , venæ ſunt manifeſtæ, pili ſunt groſſi & breves per loca , aliquantulum aſpera & groſſa. Si cor fuerit calidæ & ſiccæ complexionis , pulſus eſt velox, durus & fortis , pectus aliquantulum piloſum pilis tortis , anhelitus magnus , totus in carne calidus, cito movetur ad iram , iracundus manet , & obſtinatus. Si cor fuerit frigidæ complexionis, pulſus eſt tardus , & debilis , pectus nudum à pilis, anhelitus parvus & tardus, tactus in carne mollis, & frigidus , non facile iraſcitur, & cito iram remittit.

CAP. XXXV.

Signa complexionis hepatis.

HEpatis complexio ſi fuerit calida, cognoſcitur ex amplitudine venarum & ſiccitate , urina ejus eſt multum tincta, & comeſtio calidi cibi nocet ei,quia ipſum inflammat,& etiam abundat in eo humor cholericus, multitudo pilorum ſub hypochondriis. Si hepar fuerit frigidæ complexionis, venæ apparent arctæ, coxæ ſemper erit tenera, & in multitudine homo eſt debi-

debilis, multo phlegmate abundat, ut ſputo, & mucilagine in naſo, urina eſt alba, vel quaſi egeſtio, id eſt, ſæpe abundat ventoſitate, & multum deficiunt ſibi pili ſub hypochondriis. Si hepar fuerit humidæ complexionis, ejus ſanguis eſt turbidus, corpus eſt pingue, venter fit facile conflatus, caro ſentitur mollis, in facie eſt pallidus. Si hepar fuerit ſiccæ complexionis, pauco abundat ſanguine, totum corpus manet macrum, venter gracilis, in facie eſt paucus color.

CAP. XXXVI.

Signa complexionis pulmonis.

PUlmonis complexio ſi fuerit calida, vox eſt groſſa, anhelitus magnus, pectus amplum & groſſum. Si pulmo fuerit frigidæ complexionis, vox eſt ſubtilis, anhelitus parvus, pectus ſtrictum & ſubtile. Si pulmo fuerit ſiccæ complexionis, vox eſt clara, os ſiccum, & pauca ſaliva. Si pulmo fuerit humidæ complexionis, vox eſt clara, unde homo hoc habens eſt naturaliter fortis, plenus ſaliva, & raro bibit.

CAP. XXXVII.

Signa complexionis ſtomachi.

STomachi complexio ſi fuerit calida, digeſtio eſt fortis, appetitus magnus, ſæpe fameſcit & frequenter, & ei dolet caput, oculi patiun-

tur, cito iraſcitur & cito ab ira revertitur. Si ſtomachus fuerit frigidæ complexionis, digeſtio eſt debilis, parvus appetitus, raro fameſcit & ſitit, capite & oculis ſanus eſt. Si ſtomachus fuerit humidæ complexionis, raro ſitit, ſputo abundat, in naſo multa ſuperfluitas, nauſea, vomitus & vertigo ſibi eveniunt. Sitit, lingua aſpera, coxa ſicca cum pruritu vel debili exitu, gula aſpera, & cibi aſperitatem inglutiantur.

CAP. XXXVIII.

Signa complexionis teſticulorum.

TEſticulorum complexio ſi fuerit calida, partes propinquæ veſtiuntur pilis nigris & ericiis, virga virtuoſe erigitur, ſperma exit in ſubſtantia multum groſſa & viſcoſa, & cito exit cum fricatione coïtus, etiam ante complementum ætatis contingit grande deſiderium coïtus, unde ſuper virga manifeſtæ apparent venæ, nervi eorum ſunt fortes & pellis groſſa. Si teſticuli fuerint frigidæ complexionis, partes vicinæ ſunt multum nudæ à pilis, & illi qui ibi ſunt, extenſi ſunt, virga raro erigitur & debile ſperma exit, liquidum & tarde, venæ ipſorum ſunt occultæ, nervi debiles, pellis ſubtilis & mollis. Si teſticuli fuerint humidæ complexionis, multum ſpermate abundant, & ejiciunt in coitu ſemen aqueum & album ut lac, & bene utile ad concipiendum, tardant multum ſemen ejicere, pellis eſt multum nuda à pilis & ſubtilis.

lis. Si teſticuli fuerint humidæ complexionis, ſperma in eis generatur paucum, tamen illud eſt ſpiſſum & viſcoſum, & utile ad concipiendum, virga debilis extenditur, pili eorum ſunt breves & ericii, aſperi & groſſi, pellis vero groſſa magis quam ſubtilis. Si teſticuli fuerint calidæ & humidæ complexionis, virga potenter erigitur, & erecta manet viriliter, & etiam movetur ad coïtum, & multum ſeminis emittit. Si teſticuli fuerint frigidæ & ſiccæ complexionis, virga tarde erigitur & cito perdit virtutem, parum ſeminis emittit & quandoque non poteſt exire coïtu completo.

CAP. XXXIX.

De notitia partium corporis in omni animali.

COr omnibus aliis membris corporis eſt calidius naturaliter, & calore ipſius totum corpus vivificatur & tenet calorem in cæteris partibus ſuis, ipſum recipit à ſuperiori influxione, quo ſi corpus manet compactum, unde à calore cordis cæteræ partes corporis calefiunt, & ſic poſſimus dicere quod cor eſt fons innati caloris & origo, poſtea hepar: & poſt illud ſunt cæteræ partes carnis & puppæ. Cerebrum eſt omnibus partibus corporis frigidius & humidius, ad contrarium caloris cordis. Unde unum contemperat aliud. Adeps naturaliter eſt frigidior & ſiccior quadam humiditate coagulata. Os naturaliter eſt calidum & ſiccum. Me-

dulla eſt naturaliter calida & humida. Omnis cartilago, vena, nervus, & panniculus veternus eſt frigidæ, & ſiccæ naturæ: tamen eſt minus quam os, cujus eſt temperata, & proprie eſt illa quæ eſt in volis manuum. Nervorum quoque complexio multum diverſificatur, quoniam qui à cerebro progrediuntur, humidiores ſunt quam illi qui à nuca naſcuntur, cum in ſua complexione vicinentur complexioni cutis, quæ dicitur temperata. Glandulæ ſunt frigidæ & humidæ, & omnia membra quæ generant lac, ut mammæ, ſperma, teſticuli, ſaliva, pulmo. Caro multum diverſificatur, eo quod ſecundum complexionem membri, eſt calidior & minus calida, tamen omnes carnes recentes abſque ſale ſunt calidæ & humidæ, ſalitæ vero calidæ & ſiccæ, diverſificantur tamen ſecundum locum partis animalis, & quantitatem ſalis. Caro medioeris, i. macra & craſſa eſt temperata in omni qualitate, unde ſecundum veritatem caro bene macra impinguat & craſſa macrat. Caro porci caſtrati, hædi, agni, vituli, gallinæ, pullorum, caponis, &c. bona eſt & laudabilis, eo quod facile digerit, & bonum generat ſanguinem. Caro volatilium facilior eſt ad digerendum quam gradientium, & quicquid ex eis melius, ſunt lacerti, lingua, pes, os, & hepar. Omne frixum & aſſatum calidum eſt ſiccum, unde durum eſt ad digerendum, & perſonam reddit macram. Oleum eſt humidum & calidum, ova ſorbilia ſunt ſana & ex eis melior eſt vitellus albumine. Caſeus malus eſt in

cibo,

cibo, tam dulcis quam ſalitus, tamen utilis eſt dulcis poſt reliquos cibos: quia tunc aſſumptus facit digérere. Butyrum bonum eſt & ſanum. Lac plus malum eſt quam bonum, & in æſtate melius. Omne membrum animalis quanto plus eſt nervoſum, tanto frigidioris eſt naturæ, ut pes.

CAP. XL.

Signa repletionis malorum humorum.

REpletio malorum humorum, qua ſolet infirmitas generari, oſtenditur per hæc ſigna, nimia rubedo in facie, palliditas in pelle & unguibus, frequens extenſio brachiorum, plurima oſcitatio, ſputatio, gravis ſomnus, plenitudo venarum, exitus ſanguinis de naſo ex facili, ſæpe gravitas capitis, ut dolor frontis, tinnitus aurium, lachrymatio oculorum, & pruritus in eis, timor de plano, inertia corporis ad eundum & laborandum, magnitudo pulſus, diſſolutio ventris, urina turbida, non voluntarius appetitus comedendi, & debilitas in tota perſona.

CAP. XLI.

Signa nimii ſanguinis.

CUm ſanguis nimis abundat, accidit pruritus quaſi ubique carnis, & principaliter in brachiis, in facie abundat rubedo, continuo oris dulcedo ſentitur, præter ſolitum, fiunt veſiculæ in ore & labiis, quidam ardores ſentiuntur in pectore, quos carbunculos appellamus, qui-

quibus perſona perdit appetitum & ſuum ſomnum, urina rubea, aliquantulum ſpiſſa, corpus pingueſcit, cibi ſapiunt bene in eſu, unde aperit, digerit & diſponit.

CAP. XLII.

Signa nimiæ Choleræ.

CUm cholera nimis abundat, accidit in facie color citrinus, amaritudo in ore, aſperitas in gula, ſitis multa, pauca ſaliva, linguà ſicca & aſpera, caput ſæpe dolet, os ſiccum, debile, appetitus tardus, vomitus citrinus, vel viridis cum multa amaritudine, egeſtio erit ſicca, dura & pauca quaſi aduſta & fætulenta cum multo premitur labore, urina tenuis, citrina, ignea, & clara, vigilia multa, dormitio pauca, caro macra, & cor inſtabile.

CAP. XLIII.

Signa Phlegmatis.

CUm phlegma nimis abundat, in ore accidit multitudo ſalivæ, id eſt, ſputus multus, qui ſi fuerit albus & fluidus, eſt bonus, ſi viſcoſus, malus, paucitas ſitis, os madidum, gula mollis & lingua, raro bibit vel nunquam, niſi in prandio vel cœna, urina exit alba, in eundo piger, & in laborando debilis, ſuperfluitates abundant in naſo, oculi ſunt graves & ſomnolenti, ſomnus fit longus: caro undique ſentitur mollis & laſciva, appetitus debilis, paucus,

cus, acerbus, digeſtio tarda, in facie color albus ſine rubeo colore: egeſtio mollis & paucæ frigiditatis, in addiſcendo eſt groſſæ capacitatis, oculi ſæpe lachymantur, & præſertim mane, pili cito creſcunt & ungues.

CAP. XLIV.

Signa nimiæ melancholiæ.

CUm melancholia nimis regnat, accidit ardor ſtomachi, multitudo appetitus canini, color fuſcus in facie, ſanguis eſt niger & ſpiſſus, urina nigra, vel aliquantulum ruffa, tendens aliquantulum ad viriditatem vel palliditatem, corpus in tactu ſentitur frigidum, hebes eſt in labore, pedes frigidi ſunt, multum cor ſuſpicioſum, perſona ex cogitatu triſtis, facile iracunda, tenax, amans ſtare in ſolitudine, pauci eſt cibi & potus.

CAP. XLV.

Notula doctrinalis.

NAtura nihil facit fruſtra, & in unoquoque ſemper facit quod melius eſt, & ideo nulla qualitas eſt ocioſa in corpore. Sciendum eſt, quod homo à nativitate ſua uſque ad ſenium deſiccari non ceſſat, naſcens ut moriatur. In calida regione ſunt homines natura breves, in pelle, ut patet de Æthiopibus, vel rubei albedine intermixta aliquantulum, & in carne ſunt ſicci, criſpi, capillos habent ut groſſos, aſperos. Et in frigi-

frigida regione naſcuntur homines longi, in pelle multum albi & blandi, nudi à pilis vel quaſi qui in ſuo eſſe ſunt extenſi albi, & blandi. Nota quod regio eſt multiplex in provincia & in matrice mulieris, quæ ſi utraque fuerit calida, creatura generatur, & generata manet nigra vel bruna, & ſi fuerit frigida, efficitur alba plus vel minus ſecundum regionis complexionem.

CAP. XLVI.

De notitia nimiæ abundantiæ humorum per ſomnia.

DE judicio cogitationis ſomniorum ita dicimus, quod eorum aliud eſt verum, aliud eſt falſum. Item ſomniorum aliud ſignificat de præteritis, aliud de præſentibus, & aliud de futuris, & aliud ſignificat nil niſi phantaſiam. Et omnia iſta attenduntur eſſe à quibuſdam propter ætatem, propter cibum & propter tempus lunationis, quia aliter videt in ſomniis puer, & aliter juvenis, aliter & aliud ſenex, & aliter & aliud mulier in quolibet ſui ſtatu. Item omnium atque digeſtionem cibi ſumpti vel nihil ſignificat, aut de præteritis. Somnium in digeſtione facta, ſed nondum perfecta ſignificat de præſentibus factis, licet fiant cum intervallis. Somnium poſt completam digeſtionem cibi aſſumpti ſignificat de futuris omnino. Unde cum quis dormiendo ſomniaverit aliquid & in excitatione ſomnii ſibi videtur extraneum & magnæ ſignificationis, & cupit ſcire quid ſigni-

gnificat, confeſtim ſurgat, & illud notet, aut non dormiat plus ſuper latus, ſuper quod ſomniavit, & tunc recordabitur in die, niſi multa ſomnia viderit longa dormitatione. In die autem ſi aliquid illius ſomnii oblitus ſit, fricet ſibi caput retrorſum, ubi eſt virtus memoriæ, & tunc cum præjudicationis auxilio facile erit memor. Item ſomniorum quædam ſignificant lucrum, quædam damnum, quædam gaudium, quædam triſtitiam, quædam ægritudinem, quædam ſanitatem, quædam bellum, quædam laborem, quædam requiem, quædam ſolummodo explicationem ſomnii. Verbi gratia. Cum homo ſomniat in hora debita ſui ſtatus avem capere, lucrum ſignificat, avem perdere, damnum ſignificat, plorare gaudium ſignificat, ridere triſtitiam ſignificat, velle currere & non poſſe, impedimentum ſignificat, & ſic de cæteris.

CAP. XLVII.

Somnia ſignificantia dominium ſanguinis.

CUm ſanguis regnat, homo ſomniat ſe videre rubeum colorem, ut minium, cinabrum, tinctam ſcarlatam, ſindonem rubeam, vel violaceam, morellam, roſam, migranatam, ſanguinem, feſtum facere, nuptias vel ſponſalia, vel adeſſe in talibus. Comedere cibum dulcem & rem ſapidam, ſentire ventum, ponere ventoſum in carne, aliquem videre, carnem ſanguinolentam, & hujuſmodi res rubeas aut rubicundo colore.

CAP.

CAP. XLVIII.

Somnia ſignificantia dominium choleræ rubeæ.

CUm cholera rubea regnat, homo ſomniat ſe videre ignem ardentem, carbones vivos, prunas accenſas, ſcintillas, clibanum, fornacem, cereum, fulgur, audire tonitrua, cœlum rubeum, inflammatum lapidem, litem verborum inter aliquos, pugnam, percuſſionem, rumorem, calorem, callum, lothonem, aut chalcum, aurum, ramum, auripigmentum, capillos blandos, amare, comedere.

CAP. XLIX.

Somnia ſignificantia dominium phlegmatis.

CUm phlegma regnat, homo ſomniat ſe videre pluviam, mare, flumen, fontem, aquam, calanem, puteum, lacum, navem euntem, piſcem, rete, linum, abluere aliquid, ut manus, pannum, videre colorem album, ceſuram, calcem, caſeum, bombicem, cadere in aquam, fugulos, lachrymas, putum, ſyrupum, aquam hauriri, lixivium natare, capillos, tegulas filare & hujuſmodi ſimilia.

CAP. L.

Somnia ſignificantia dominium Melancholiæ.

CUm melancholia regnat, homo ſomniat ſe videre colorem nigrum & fuſcum, ut fumum,

mum, tenebram, ſepulturam, infirmum hoſpitale mortuorum, cadaver, timorem, triſtitiam, impotentiam, eſſe in carcere ligatum, veſtem eſſe ſtercoratam & ſimilia.

CAP. LI.

Somnia ſignificantia caliditatem.

COnſtat quando calida eſt complexio, homo ſe videt niſi ſomniis ſtufare, balneare, ad ſolem ſtare, incidere per ignem, ſe igni oſtendi, vel ferro calido, & ſimilia.

CAP. LII.

Somnia ſignificantia frigiditatem.

COnſtat quando frigida eſt complexio, homo in ſomniis videt ſe eſſe in loco frigido, glaciem videre, tangere nivem, ferrum, pruinam, plumbum, lapidem, ex frigore tremere, criſtallum, albumen ovi, lac coagulatum, & ſimilia.

CAP. LIII.

Somnia ſignificantia humiditatem.

COnſtat quando humida eſt complexio, homo videt in ſomniis ſe tangere rem mollem & levem, ſive teneram, comedere panem recentem, bibere brodium, mingere, aquam palpare.

CAP.

CAP. LIV.

Somnia ſignificantia ſiccitatem.

COnſtat quando ſicca eſt complexio, homo ſomniat ſe volare, in ſe fieri inſultus, aliquid levitatis capere, avem volare, pennam, folium arboris, vibrare ſcolas, montem, turrim, exprimere aliquid vel diſtillare, & hujuſmodi ſimilia.

CAP. LV.

Somnia ſignificantia repletionem humorum.

QUando repletio humorum eſt in corpore, homo ſomniat ſe gravari ab aliquo, vel onerari per voluntatem aut violentiam, velle ire nec poſſe, aut ſe levare, nec ex debilitate valere.

CAP. LVI.

Somnia ſignificantia malos humores.

QUando in corpore ſunt mali humores & nimis regnant, homo videt in ſomniis ſe ire per loca cœnoſa, fœtida, menſtruum, rem turbulentam, & ſimilia.

CAP. LVII.

DE NOTITIA

Auguriorum.

AUguria ſunt in canonibus Eccleſiæ inventa, tamen dicimus, quod quædam accipiuntur per obviationem hominis vel alterius animalis, vel auditum vocis, & hic & hæc augur, auguris, eſt, qui vel quæ per talem ſcientiam indicat res futuras, & ſic per ſigna hujus ſcientiæ ſingula in genere judicare ſcit & novit. Unde ſciendum eſt, quod auguriorum quædam ſignificant bonum eventum, quædam malum eventum, quædam medium inter utrumque. Sunt enim quædam notabilia, quibus proprie auguria conſiderantur, ut ſternutatio oſcitantis, obviatio volatus avium, cantus avium, vox audita locutionis, circa propoſitum negotium, ut ſomnium antecedens, unde homo facit augurium homini ſicut cætera animalia faciunt, ut aquila, cornicula, nocticorax, corvus, bubo, picus, felis, canis, porcus, equus, &c. ut habetur in libro arguriorum. Item auguriorum quædam poſt, quædam dextre, quædam ſiniſtre, & cum diverſa ſint in ſua diſpoſitione, quodlibet ſuorum proprie nominatur, & proprio nomine cognoſcitur interpretandum. Tamen dicimus quod auguria ſunt numero XII. ad inſtar XII. ſignorum cœli,

cœli, & ſunt hæc. *Fernova*, *Fervetus* confert *Emponenthi*, *Sciſmaſarnova*, *ſima fervetus*, & hæc fiunt in dextro latere. In ſiniſtro vero latere ſunt. *Confernova*, *confervetus*, *variarum Hertenum*, *ſcaſſarnova*, *ſcaſſervetus*. Cum autem iſta nomina ſint gravia & multæ ſignificationis, ideo placet nobis ea exponere ſufficienter. *Fernova* eſt augurium quando tu exiveris domum tuam, cauſa faciendi aliquid, & eundo vides hominem vel avem eundo vel volando, ita quod te ponat ante in ſiniſtra parte tui, & iſtud eſt tibi ſignum bonæ ſignificationis ſuper negotio. *Fervetus* eſt augurium, quando tu exiveris domum tuam cauſa faciendi aliquid & eundo prius invenis, vel vides avem vel hominem pauſantem ante te in ſiniſtra parte tui, & iſtud tibi malum ſignum ſuper negocio. *Varium* eſt augurium, quando homo vel avis ſuo itinere vel volatu ante tranſit veniens à dextra parte tui, & tendens in ſiniſtram evaneſcit, iſtud eſt tibi bonum ſignum ſuper negocio. *Confernova* eſt augurium, quando prius invenies hominem vel avem euntem vel volantem, & ſe repauſet ante te in dextra parte tui, vidente te, & iſtud eſt tibi bonum ſignum ſuper negocio. *Confervetus* eſt augurium quando prius invenis vel vides hominem vel avem ſe repauſantem in dextra parte tui te vidente, & iſtud eſt tibi malum ſignum ſuper negocio. *Sciſmarſanova* eſt augurium, quando tu vides hominem vel avem poſt te, & te conſequi & tranſire ante: & antequam perveniat ad te, vel

tu

tu ad eam, alicubi ſe repauſet te vidente in dextro latere tui, & tunc eſt tibi bonum ſignum ſuper negocio. *Sciſmarvetus* eſt augurium, quando tu vides hominem poſt te vel avem pauſantem, ita quod ſit tibi dextero à latere, iſtud eſt tibi malum ſignum ſuper negocio. *Scaſſarnova* eſt augurium, quando vides poſt te hominem vel avem, & antequam perveniat ad te & tu ad eam, in loco repauſet te vidente, ſignificat bonum ſignum ſuper negocio. *Scaſſarvetus* eſt augurium, quando vides hominem prætererire, vel avem in loco pauſantem, ita quod ſit tibi in ſiniſtro latere tui, eſt tibi malum ſignum ſuper negocio. *Emponenthiſci* eſt augurium, quando homo vel avis venit à latere ſiniſtro tui & tranſit ad dextram, nec eam vides repauſare, ſed evaneſcit ad te: tunc eſt tibi bonum ſignum ſuper negocio. *Hertenum* eſt augurium, quando homo vel avis à dextro latere tui venit in ſiniſtrum tranſiens poſt tergum tui, & eam vides alicubi repauſare, tunc eſt tibi malum ſignum ſuper negotio. Ut autem ſingula quæ diximus, evidentius intelligantur, libri auguriorum hoc ponimus in exemplo.

CAP. LVIII.

De notitia ſternutationis.

STernuto, as, verbum eſt: & ſignificat ſternutare. Et hæc ſternutatio ipſe idem actus eſt qui dicitur ſternutatio. Nec aliud ſternutatio quam fumoſitas eorum, quæ aſcendunt in caput

put uſque ad cerebrum. Et cum ibi ſæpius abundent nociva quam juvativa, à natura depellit & cadendo exit in ictu per nares & per os. Poteſt autem vetari ſternutatio, ne fiat quin ſentiatur contingere. Si oculi parum fricentur, confeſtim ceſſat, & animali tunc caput purgatur à malis vaporibus: ut domus à fumo quando expellitur à vento, quid autem una ſternutatio vel duæ boni vel mali ſignificent, hic pono exemplum. Dum enim aliquis negocio emptionis, venditionis, aut intellectus, &c. fecerit duas ſternutationes, vel quatuor, aut alibi per alterum factæ fuerint, & confeſtim ſe levat, ſi ſedeat & ſi ſtatim pedibus ſe moveat, & incipiat ire id complendi negocium ſive intromittendi quid, proſperabitur in eo. Et ſi fecerit ultra quatuor ſternutationes, non pertinet ſibi ſuper facto, cum ſit ſub dubitatione ſciendi veritatem, niſi illud videat adhuc per aliud ſignum, ut obviationis ſigno, &c. Si vero fecerit unam ſternutationem vel tres, omnino delinquat omnia tam in dicendo, quam in faciendo. eo quod de facto non poſſet pervenire ad bonum finem, nec cito, nec facile. Item ſi duo homines quaſi in uno momento fecerint duas ſternutationes, id eſt, quilibet eorum fecerit ſuam ſternutationem, tunc ei eſt bonum ſignum faciendi aliquid propoſitum in certo facto, unde ſtatim incipiat negocium; & proſperabitur in ingreſſu maris cauſa negociationis, & etiam per terram. Duæ ſternutationes ei bonum ſignum ſignificant, & è converſo, ut de una vel tri-

tribus. Item cum quis recenter venit in locum, una ſternutatio ei bene ſignificat, & è converſo, ut duæ vel quatuor, &c. Item una ſternutatio in aliqua nocte facta per quenquam de familia domus, bonum ſignificat, ut lucrum, &c. duæ vero malum, ut damnum, &c. Verum eſt quod ille qui ſternutat, recipiet partem ſignificationis hac conditione, quod cæteri participabunt cum eo de illo eventu. Item ſi duæ ſternutationes fiant omni nocte ab aliquo, & illud continuetur per tres noctes, ſignum eſt quod aliquis vel aliqua de domo morietur, vel aliud damnum domui continget: vel maximum lucrum. Item introitu domus ſi quis noviter habeat unam ſternutationem, tute intret hæreditaturus. Si vero duas, exeat, & eam non habitet. Item homine jacente in lecto ſuo, ſi vigilaverit & fecerit unam ſternutationem, eſt ſibi ſignum malum infirmitatis, vel damni. Si vero dormiat, & fecerit unam ſternutationem, pejus ſignificat, ut magnam tribulationem, mortem perſonæ, vel impedimentum graviſſimum, aut magnam rerum perditionem. Si vero aliquis in lecto jacendo duas fecerit ſternutationes & vigilet, ſignum eſt bonum, ut lucri, vel ſanitatis, &c. Sed ſi dormiebat tunc, eſt melius: & ſi omni nocte duæ fiant ſternutationes uſque in tertiam noctem, tunc eſt ſignum optimum aut in lucro, aut in alio honore, &c. Item ſi aliquis tota die iverit, ut mercator & peregrinus, aut partim in die, & repaverit in aliquo hoſpitio, & ibi repente facit duas ſternutationes, locum mutet: & vadat in

aliud hoſpitium, eo quod proſperabitur, alioquin adverſabitur. Item cum quis petendo aliquid cauſa operandi, eam rem vel tetigerit, habuerit unam ſternutationem, confeſtim diſcedat de loco illo, immittat omnia illic & alibi tenter, & tunc inde proſperabitur aliquantulum. Et ſi habuerit duas ſternutationes, tollat ipſam ſecure & eam rem non permittat, nec amplius differet. Item ſi quis poſt factam nuper de aliquo unam ſternutationem fecerit; tunc ei ſignificatur quod omnia in pacto ſtabunt firma. Si vero tres fecerit, pactum non ſervabit. Item ſi quis ſummo mane in die lunæ cum ſe de lecto levaverit, unam habuerit, ſignificat, quod totam hebdomadam habebit proſperam, lucro vel alia conſolatione. Si vero duas habuerit, totum contrarium erit. Si quis perdiderit equum, annulum, &c. & exiens domum ſuam cauſa quærendi, & in exitu nuper habuerit unam ſternutationem, ſignificatur ei rem ſuam recuperare. Si vero duas habuerit, nunquam rem inveniet. Item die dominico ſummo mane cum quis ſurgit de lecto, ſi tres ſternutationes habuerit, ei bonum ſignificat. Una vero malum ſignificat. Item ante prandium vel cœnam quaſi volens incipere comedere, duas ſternutationes ſi fecerit, bonum ſignificat, una vero malum. Vir infirmus jacens in lecto ſi timeat, & diffidatur, & habeat unam ſternutationem, ſignum eſt mortis, ſi vero duas; evadet mulier graviter infirma, ſi in lecto habuerit unam ſternutationem, eſt ſibi ſignum liberationis, duæ vero mortem ſignificant.

INCIPIT

Tertia Pars,

In qua continentur capitula phyſionomiæ in ſpecie utriuſque ſexus viri & mulieris.

CAP. LIX.

AD particulas quidem corporum utriuſque ſexus, videlicet viri & mulieris plenius revertentes, ſecundum ſeriem ferme cujuſlibet perſonæ in omni ſtatu ſui dicimus, quod *phyſionomia eſt ingenioſa ſcientia naturæ, per quam cognoſcitur virtus cujuſlibet animalis.* Et quoniam membrorum quædam ſunt ſimplicia, ut lingua, cor, &c. quædam vero compoſita, ut oculus, naſus, &c. Idcirco dicimus quod multa ſunt ſigna quæ ſimul vivunt, ſomnia quorum dantjudicium ſapientes; ideo ſciendum eſt quod multiplex eſt differentia inter virum & mulierem, cadens in judicio ſcientiæ quæ dicitur phyſionomia. Quare accipienda eſt proprie in viro, & improprie in muliere. Cauſa eſt, quia vir in omni compoſitione ipſam plenius apprehendit quam mulier, ut evidenter appareat ſcientia canonum qui ſunt infra per modum capitulorum, & ob hoc dicimus, quod pro viro intelligatur proprie judicium uniuſcujuſque capituli, & pro muliere improprie, comparato tamen intel-

lectu ipſorum ad idem. Quare magnum ingenium debet adhibere comprehenſionibus omnium quæ ſunt neceſſaria huic, ſub vi collectionis, priuſquam judicium proferatur utriuſque ſexus, ſi caſus evenerit in aliquo judicandi. Videmus enim virum in facie conſimilem mulieri, quem cum ſagaciter aſpeximus, judicamus de illo, & ita de cæteris partibus corporis, ut manus. Videmus etiam mulierem in facie, & hæc erit carnaliter ſimilis viro, ſola diſpoſitione membrorum ſcilicet tam alienata partium corporis, ut manus, &c. quam faciei. Nunquid judicamus de illa quemadmodum de viro poſſumus judicare? Nequaquam, ſed aliter, & debilius, pro eo quod complexio mulieris valde diſtat à mera ratione & complexione viri in omnibus, modo qui dicitur communis eſſe. Sed de communi duæ partes attribuuntur viro, & tertia mulieri. Unde volentes ordinem omnium & ſingularum partium membrorum retinere. A capite nunc incipiemus, principaliter ponemus rubricam unicuique parti corporis humani & non alterius animalis, ut opus noſtrum ſit facilius omni lectori. Et connumeratis omnibus membris particulariter à ſummo capite ad plantas pedum, finiemus ipſum opus cum auxilio Dei, qui de nihilo cuncta creavit, ſolus gubernans omnia, diſponens magno regimine ſapientiæ, qui non fallitur.

CAP.

CAP. LX.

De Capillis.

CApilli plani & extenſi in colore albi, vel blandi, ſi ſint ſubtiles & molles, ſignificant hominem naturaliter timidum corde, debilem viribus, pacificum in ſocietatibus, ubique convenientem & manſuetum. Capilli groſſi & ericii, ac breves, ſignificant hominem naturaliter fortem, ſecurum, audacem, inquietum, vanum, ſæpe fallacem, cupidum pulchrorum, & plus ſimplicem quam ſapientem, licet fortuna ei faveat. Cujus capilli ſunt mixtim criſpi, ſignificant hominem duri ingenii, aut multæ ſimplicitatis, ſive utrumque. Cujus capilli ſunt multi ſuper tempora faciei, & ſuper frontem, quibus frons valet judicari piloſa, ſignificant hominem ſimplicem, vanum, luxurioſum, cito credentem alteri, in moribus & in loquela ruſticali, groſſi ingenii. Cujus capilli ſunt multum ericii & elevati & cæſarea ex ſua formoſitate ſignificant hominem valde ſimplicem, audacem, ſuperbum, duræ capacitatis, velocis iræ, mendacem, luxurioſum, malitioſum, in malo præſumptuoſum. Cujus capilli in angulo frontis ſunt valde ericii, & omnes elevati vel parum ex eis, ſitque frons elevata, ſignificant hominem ſimplicem & partim malitioſum cum ſagacitate modorum. Cujus capilli ſunt multi, id eſt, ſpiſſi per totum caput, ſignificant hominem luxurioſum, & bonæ digeſtionis, vanum, velocis credu-

dulitatis, pigrum in agendis, malæ memoriæ, cupidum multorum, ac infortunatum. Cujus capilli ſunt rubei, ſignificant hominem invidum, venenoſum, fallacem, ſuperbum & maliloquum. Cujus capilli ſunt valde blandi, ſignificant hominem convenientem ad omnia, amantem honorem, & vanam gloriam habentem. Cujus capilli ſunt valde nigri, ſignificant hominem convenientem ad omnia, plus ad bonum quam ad malum, in officio & opere ſtudioſum, ſecretum, & bene fortunatum. Cujus capilli ſunt quaſi albi vel glauci, ſignificant hominem bonæ conditionis, & convenientem ad omnia, timidum, verecundum, debilem, boni ingenii, teneræ capacitatis, duram ac credulem habentem. Cujus capilli ſunt mediocres in quantitate & colore, ſignificant hominem convenientem, & plus tendentem ad bonum quam ad malum, amantem vitam pacificam, munditiam, & bonos mores. Cujus capilli tempore juventutis ſunt canicies, ſignificant hominem moventem ad luxuriam, vanum, mendacem, inſtabilem, loquacem.

CAP. LXI.

De Fronte.

FRons multum elevata in rotundum ſignificat hominem liberalem amicis & notis, lætum, boni intellectus, alteri tractabilem & multis gratiis virtuoſum. Cujus frons eſt plena pelle, & oſſe, & non continens rugas, ſignificat hominem ex facili litigantem, vanum, falla-

fallacem, plus ſimplicem quam ſapientem. Cujus frons eſt nimis parva ex omni parte, ſignificat hominem boni ingenii, & clari intellectus, multæ audaciæ in malo, magnanimum, cupidum pulchrorum & honoris. Cujus frons eſt cuſpida in angulis temporum, ut oſſa quaſi foris permaneant, ſignificat hominem vanum & inſtabilem, in omnibus debilem, ſimplicem, & teneræ capacitatis. Cujus frons eſt in temporibus quaſi conflata groſſitudine carnis, ſcilicet quod habeat maxillas carne plenas, ſignificat hominem multi animi, ſuperbum, iracundum, & groſſi ingenii. Cujus frons eſt rugoſa, & declivis à medio ut ſit quaſi duplex, in facie naſi habeat vallem ſive non, ſignificat hominem ſimplicem, magnanimum, magni ingenii, & crudelis fortunæ. Cujus frons eſt magna ex omni parte, & aliquantulum rotunda, nuda pilis vel calva, parum vel ſatis, ſignificat hominem audacem, boni ingenii & intellectus, ſagacem, malitioſum, magnanimum, magnæ iræ, non bene legalem, & ideo facile mendacem: Cujus frons eſt valde longa, & alta in rotundum, & facies verſus mentum ſit figurata in acutum, ſignificat hominem ſimplicem, debilem, convenienter legalem & crudelis fortunæ.

CAP. LXII.

De Ciliis.

CIlia arcuata multum, & quæ frequenti motu elevantur in altum, ſignificant hominem ſuperbum, animoſum, vanum, glorioſum, audа-

audacem, minacem, cupidum pulchrorum & convenientem ad utraque. Cujus cilia ſunt deorſum declinata cum alteri loquitur, vel alterum intuetur, quaſi latenter ſub eis, ſignificant hominem valde malitioſum vel fallacem, mendacem, proditorem, tenacem, pigrum, ſecretum, pauciloquum. Cujus cilia ſunt rara pilis, ſignificant hominem ſimplicem, vanum, debilem, cito credulum, & in ſocietate ſatis convenientem. Cujus cilia ſunt naturaliter plicata deorſum, ut quaſi ſine criſpa, ſignificant hominem ineruditum, pigrum, ſuſpicioſum, tenacem, invidum, in multis facile ſeductorem. Cujus cilia ſunt valde brevia, & in colore alba, vel plumbea, ſignificant hominem quaſi ad omnia convenientem, timidum, facile cito alteri credentem, & è converſo.

CAP. LXIII.

De Interciliis.

INtercilia ſignificant hominem tenacem, invidum. ſecretum, ſagacem, valde cupidum pulchrorum, vanæ fortunæ, plus crudelis quam delectabilis. Cujus intercilia ſunt longa valde, ſignificant hominem aliquantulum duræ capacitatis, ſubtilis intellectus, magnæ audaciæ, multæ felicitatis, & amicitiæ claræ & perfectæ.

CAP. LXIV.

De Oculis.

OCuli magni, id eſt, groſſi, ſignificant hominem frequenter pigrum, quandoque audacem, invidum, partim verecundum & partim non ſecretum, convenientem, non tenacem, vanum, leviter mendacem, magnæ iræ, malæ memoriæ, groſſi ingenii & parvi intellectus, & minus ſapientiæ quod ſe reputet ſcire. Cujus oculi ſunt in capite concavi intus & longinqui viſus, ſignificant hominem ſuſpicioſum, malitioſum, magnæ iræ, perverſum moribus, valde memorem, audacem, crudelem, facile mendacem, minacem, vitioſum, luxurioſum, ſuperbum, invidum & ſeductorem. Cujus oculi foris valde prominent, ſignificant hominem ſimplicem aut ſtultum, parum verecundum, aliquantulum largum, facile ſervitialem, groſſi intellectus & ingenii, cito convertibilem ad utrumque. Cujus oculi acute intuentur & ſtudioſe ciliis declinatis, ſignificant hominem malitioſum, & multoties ſeductorem, falſarium, ſæpe mendacem, invidum, tenacem, ſecretum, impium, nec bene legalem. Cujus oculi ſunt parvi & rotundi convenienter, ſignificant hominem verecundum debilem ſimplicem, cito credentem dicto alterius, groſſi ingenii, tardi intellectus, & frequenter crudelis fortunæ, liberalem alteri, & convenienter verecundum. Cujus oculi ſunt obliqui, ſignificant hominem fallacem, legalem, tenacem,

invidum, iracundum, mendacem, & in multis malitioſum. Cujus oculi ſunt varii & intuitu vagi, ſignificant hominem ſæpe mendacem, vanum, ſimplicem, luxurioſum, ſeductorem, cito alteri credentem, invidum, animoſum, cupidum pulchrorum, & facile convertibilem ad utrumque. Cujus oculi ſæpe connivent & moventur ante & retro, ſignificant hominem luxurioſum, inſtabilem, ſæpe mendacem, ſæpe falſarium, proditorem, infidelem, præſumtuoſum, & durum ad credendum alteri. Cujus oculi in albedine ſunt citrini, ſignificant hominem ſimplicem, ſæpe mendacem, vanum, fallacem, ſæpe luxurioſum, infidelem alteri, & convenienter ſecretum, valde ſui ſenſus & magnæ iræ. Cujus oculi ſunt multi motus aut duri ſive tardi, intuentes tamen acute cum reclinatione carnis oculorum, ſignificant hominem valde malitioſum, in multis vanum, pigrum, mendacem, infidelem, invidioſum & rixoſum. Cujus oculi ſunt quaſi rubei, vel vitioſi lacrymis vel ſanguine, ſignificant hominem iracundum, ſuperbum, dedignoſum, crudelem, inverecundum, infidelem, mendacem, vanum, ſimplicem, teneræ capacitatis, ſeductorem, & ex facili pium. Cujus oculi ſunt valde groſſi, quaſi ſimiles oculis boum, ſignificant hominem ſimplicem, tardi intellectus, malæ memoriæ, & groſſi nutrimenti. Cujus oculi ſunt in forma mediocres, tendentes ad nigredinem, ſignificant hominem convenienter pacificum, manſuetum, legalem, ingenii boni, magni intellectus, & convenienter alteri ſervitialem.

CAP.

CAP. LXV.

De Naſo.

NAſus longus aliquantulum ſubtilis, ſignificat hominem audacem, curioſum in factis, iracundum, vanum, cito convertibilem ad utrumque, debilem, & ex facili credentem. Cujus naſus fuerit longus & extenſus, habens punctum deorſum declinatum, ſignificat hominem ſagacem, ſecretum, ſervitialem & convenienter fidelem, probum in agendis, ſupplantaneum. Cujus naſus fuerit ſimus, ſignificat hominem impetuoſum, vanum, mendacem, luxurioſum, debilem, inſtabilem, cito alteri credentem & convertibilem ad utrumque. Cujus naſus fuerit in medio latus, & declinet ad ſummitatem ſui, ſignificat hominem facile mendacem, vanum, luxurioſum, verboſum, & crudelis fortunæ. Cujus fuerit undique groſſus & bene longus, ſignificat hominem cupidum omnium pulchrorum, in bonis ſimplicem, in malis ſapientem convenienter, bene fortunatum, fervoſum in eis quæ cupit, ſecretum & valde minus ſcientem quam ſe ſcire reputet. Cujus naſus fuerit valde acutus in puncta & mediocris inter longum & curtum, groſſum & ſubtilem, ſignificat hominem cito iraſcibilem, valde ſui ſenſus, facile rixoſum, ſagacem, debilem, malitioſum, ſeductorem, minacem & memorem. Cujus naſus fuerit valde rotundus in extremis, cum parvis naribus, ſigni-

ſignificat hominem ſuperbum, groſſi nutrimenti, cito credentem, vanum, largum & fidelem. Cujus naſus fuerit nimis longus, & in puncta plus ſubtilis quam groſſus, & convenienter rotundus, ſignificat hominem in loquendo audacem, in agendis probum, facile injurioſum, fallacem, invidum, tenacem, in fide ſecretum, cupidum alieni, & multis modis latenter malitioſum. Cujus naſus fuerit retortus & curvatus in ſurſum, & longus, convenienter habens punctum groſſum, ſignificat hominem audacem, ſuperbum, tenacem, invidum, cupidum, luxurioſum, mendacem, ſeductorem, vanum, glorioſum, infelicem, rixoſum. Cujus naſus fuerit in medio valde elevatus, ſignificat hominem ſæpe mendacem, vanum, inſtabilem, luxurioſum, cito credentem, importunum, ingenii boni, groſſi nutrimenti, & plus ſimplicem quam ſapientem, & malitioſum. Cujus naſus fuerit qualitate rubicundus ultra omnem ſpeciem cæterorum, ſignificat hominem avarum, impium, luxurioſum, ſupplantantem, bonitatis, groſſi nutrimenti & ingenii, teneræ capacitatis. Cujus naſus fuerit convenienter groſſus, undique ſuper punctum planus aliquantulum, ſignificat hominem ſatis pacificum, fidelem, laborioſum, ſecretum, & boni intellectus. Cujus naſus fuerit in ſummitate aliquantulum piloſus & undique groſſus convenienter & in junctura frontis parum ſubtilis, ſignificat hominem bonæ conditionis in omnibus, & convertibilem facile ad utraque. Cujus naſus fuerit ubique groſſus, nares habens

latas,

latas, ſignificat hominem groſſi ingenii, & plus ſimplicem quam ſapientem, mendacem, fallacem, ſubdoloſum, rixoſum, invidum, & vanum, glorioſum.

CAP. LXVI.

De naribus.

NAres naſi ſtrictæ ac ſubtiles, ſignificant hominem habentem parvos teſticulos, ſagacem, dedignoſum, mendacem, fidelem, vanum, glorioſum, cupidum pulchrorum, in agendis modeſtum. Cujus nares fuerint magnæ & amplæ, ſignificant hominem habentem magnos teſticulos, luxurioſum, proditorem, vanum, falſum, audacem, mendacem, invidum, cupidum, groſſi ingenii, tenacem, parum timidum. Cujus nares fuerint valde obtuſæ, ſignificant hominem inſipientem, vanum, mendacem, ſuperbum, aſperæ fortunæ & bellicoſum.

CAP. LXVII.

De ore.

OS magnum & latum ex clauſura & apertione, ſignificat hominem audacem, inverecundum, facile bellicoſum, mendacem, verboſum, novigerulum, comeſtorem, groſſi ingenii, tenacem & valde inſipientem. Os cujus fuerit parvum clauſura & apertione, ſignificat hominem pacificum, timidum, fidelem, ſecre-

ſecretum, tenacem, largum, verecundum, doctrinalem, & parum comedentem. Cujus os fœtet flatu, ſignificat hominem in hepate vitioſum, ſæpe mendacem, vanum, laſcivum, fallacem, teneræ capacitatis, groſſi intellectus, ſeductorem, invidum, cupidum, & convenienter alteri largum, novigerulum, cito credentem, & plus ſimplicem quam ſapientem. Cujus os redolet flatu, ſignificat hominem convenientem in dando & retinendo, ſagacem, ſecretum, pulchrum, cito credentem & convertibilem ad utraque.

CAP. LXVII.

De Labiis.

LAbia oris valde groſſa vel nimium revoluta foris ſignificant hominem plus ſimplicem quam ſapientem, cito credentem, groſſi nutrimenti, & convenientem ad utraque. Cujus labia fuerint convenienter ſubtilia, non multum foris retorta, ſignificant hominem diſcretum, in omnibus ſecretum, ſagacem, iracundum, & multi ingenii. Cujus labia fuerint bene colorata & ſubtiliora quam groſſa, ſignificant hominem bonæ conditionis in omnibus, & cito convertibilem ad utrumque, & citius ad virtutes quam vitia. Cujus labia non ſunt bene æqualia in omni, ita quod unum ſit majus altero, ſignificant hominem plus ſimplicem quam ſapientem, groſſi ingenii, tardi intellectus, & variæ fortunæ.

CAP. LXX.

De *Dentibus.*

DEntes parvi & debiles in opere, rari & curti ſignificant hominem debilem, boni ingenii, teneræ capacitatis, manſuetum, legalem, fidelem, ſecretum, timidum, vitæ brevis, & ad utraque convenientem. Cujus dentes non ſunt ſibi æquali pollentes quantitate, & ſitu gingivarum, ita quod quidam ſunt ſtricti, quidam lati, quidam rari, quidam ſpiſſi, ſignificant hominem ſagacem, boni ingenii, audacem, dedignoſum, invidum & facile convertibilem ad utraque. Cujus dentes ſunt valde longi, & quaſi acuti, & aliquantulum rari & fortes in opere, ſignificant hominem invidum, guloſum, audacem, quaſi inverecundum, mendacem, falſum, infidelem & ſuſpicioſum. Cujus dentes ſunt citrini, vel pruni, ſive ſint curti ſive longi, ſignificant hominem plus ſtultum quam ſapientem, groſſi nutrimenti, cito credentem, turbidi intellectus, ſæpe fallacem, mendacem, invidum, cupidum alieni, & ſuſpicioſum. Cujus dentes ſunt groſſi & lati, ſive declinent foris, ſive ſint rari, ſive ſpiſſi, ſignificant hominem vanum, laſcivum, groſſi nutrimenti, cito credentem, ſimplicem, fallacem, mendacem, & teneræ capacitatis. Cujus dentes ſunt fortes & ſpiſſi, ſignificant hominem longæ vitæ, cupidum pulchrorum, duræ capacitatis, groſſi ingenii, magnanimum, multum

ſui ſenſus, novigerulum, & cito credentem. Cujus dentes ſunt debiles, parvi, rari & exiles, ſignificant hominem debilem, brevis vitæ, ſagacem, capacitatis bonæ, cito credentem, communiter verecundum, tractabilem, manſuetum & legalem. Cujus dentes ſunt fortes & ſpiſſi, ſignificant hominem longæ vitæ, luxurioſum, bene comedentem, audacem, fortem, diſcretum, & ſui ſenſus.

CAP. LXX.

De Lingua.

LIngua nimis velox ad loquendum, ſignificat hominem plus ſimplicem quam ſapientem, groſſi ingenii, mali intellectus, cito credentem, & facile convertibilem ad utraque. Cujus lingua balbutit loquendo, ſignificat hominem valde ſimplicem, vanum, inſtabilem, iracundum, cito ab ira convertibilem, ſervitialem & debilem. Cujus lingua eſt valde groſſa & aſpra, ſignificat hominem ſagacem, malitioſum, convenienter ſervitialem, vanum, dedignoſum, ſecretum, proditorem, novigerulum, timidum, impium convenienter. Cujus lingua eſt ſubtilis, ſignificat hominem ſagacem, ingenioſum, facile timidum, cito credentem, atque convertibilem ad utrumque.

CAP. LXXI.

De Flatu.

FLatus multus ſignificat hominem multi ſpiritus, & è converſo. Cujus defectus eſt duplex, aut ex parvitate pulmonis, aut ex vitioſitate thoracis. Et ideo animal multi flatus, eſt multæ fortitudinis, & multi potus.

CAP. LXXII.

De Voce.

VOx groſſa in ſono ſignificat hominem fortem, audacem, ſuperbum, luxurioſum, helluonem, ex facili bellicoſum, valde ſui ſenſus, mendacem, fallacem, ſecretum, iracundum, clamoſum, invidum. Cujus vox eſt ſubtilis & debilis parvo flatu, ſignificat hominem debilem, timidum, intellectus boni, ſagacem, pauci cibi. Cujus vox eſt clara & bene expedita in ſono, ſignificat hominem convenienter providum, veracem, ſagacem, ingenioſum, mendacem, glorioſum & cito credentem. Cujus vox eſt ſolida in cantu, ſignificat hominem convenienter fortem, intellectuatum, tenacem, cupidum alieni & ingenioſum. Cujus vox eſt tremula, ſignificat hominem invidum, ſuſpicioſum, glorioſum, pigrum, debilem & timidum. Cujus vox eſt valde alta in ſono, ſignificat hominem fortem, audacem, injurioſum, & ſui ſenſus. Cujus vox eſt valde aſpera, ſive in cantu, ſive in loquela, ſignificat hominem groſſi inge-

ingenii,intellectus & nutrimenti.Cujus vox nimis reſonat vel impediat, cantatrix,&c. ſignificat hominem plus ſimplicem quam ſapientem ; groſſi nutrimenti, vanum, inſtabilem, facile timidum, mendacem, & cito credentem. Cujus vox eſt mitis & plena, & grata auditori, ſignificat hominem pacificum, ſecretum, timidum, tenacem, iracundum, & valde ſui ſenſus. Cujus vox incipit à gravi, & finit in altum, ſignificat hominem iracundum & impetuoſum, audacem & tutum. Cujus vox in vocatione alterius mollis, ſignificat hominem debilem,manſuetum, tenacem & ſagacem. Cujus vox in vocatione alterius & acuta eſt alta, ſignificat hominem tutum, iracundum, audacem, ſagacem, malitioſum, & ſatis ſuperbum. Cujus vox eſt dirupta, alta & placabilis, ſignificat hominem timidum, & ex facili vanum, animoſum, cito credentem & luxurioſum.

CAP. LXXIII.

De *Riſu.*

RIſus abundat in ore ſtultorum habentium ſplenem magnum, & è converſo. Cujus bucca ex facili ridet, ſignificat hominem ſimplicem, vanum, inſtabilem, cito credentem, groſſi ingenii & nutrimenti, ſervitialem & non ſecretum. Cujus bucca raro ridet & breviter, ſignificat hominem ſtabilem, tenacem, ſagacem,clari intellectus,ſecretum,fidelem & laborioſum. Cujus bucca durè movetur ad ridendum,

dum, ſignificat hominem ſapientem, valde ſui ſenſus, ſagacem, ingenioſum, patientem, tenacem, ſtudioſum ſuæ artis, iracundum, ſupplantaneum. Cujus bucca facile ridet, & ridendo ſæpe tuſſit, vel oſcitat, aut torquet caput, ſignificat hominem varium, invidum, cito credentem, & convertibilem ad utrumque. Cujus bucca videndo torquetur cum deriſione alterius, ſignificat hominem arrogantem, falſum, tenacem, iracundum, mendacem, aliquantulum proditorem.

CAP. LXXIV.

De Mento.

MEntum amplum & groſſum carne multa ſignificat hominem pacificum, mediocris capacitatis, groſſi ingenii, legalem, ſecretum & facile convertibilem ad utrumque. Cujus mentum eſt acutum & convenienter plenum carne, ſignificat hominem boni intellectus, alti cordis, & ſatis laudabilis nutrimenti. Cujus mentum eſt quaſi duplex quadam valle, ſignificat hominem pacificum, groſſi ingenii, vanum, cito credentem, convenienter alteri ſervitialem & valde ſupplantaneum, & ſecretum factorum. Cujus mentum eſt acutum & ſubtile carne, ſignificat hominem audacem, bellicoſum, iraſcibilem, dedignoſum, timidum, debilem & aliquantulum ſervitialem. Cujus mentum eſt recurvum, cum valet in junctura maxillarum, & carne macer quaſi acutum, ſignificat hominem peſſimum, ſimplicem, audacem,

ſuper-

ſuberbum, minacem, invidum, tenacem, fallacem, cito iraſcibilem, iracundum, proditorem, & furem & ſupplantaneum.

CAP. LXXV.

De Barba.

Barba naſcitur viro ultra 14. annum paulatim de die in diem, & tunc naſcitur femur extra ſexum. Et eſt ſciendum quod tales pili procreantur de ſuperfluitatibus ciborum, fumoſitas quorum ſuperaſcendit uſque ad partes maxillarum velut fumus ad foramina camini. Et cum amplius non inveniat meatus apertos, quibus bene valeat ſuperius aſcendere, ſic inde exeunt in modum pilorum qui dicuntur pili barbæ. Mulieres bene omnes carent barba in maxillis. Et eſt ſciendum quod omnes humores quibus in viris barba generatur, in mulieribus menſtruum, quod eſt eis quodam meatu & motu ætatis lunæ, quandoque ſemel in menſe, & quandoque bis. Cujus exitus dicitur eſſe fluxus ſive ſuperfluum. Iſtud vero contingit quando mulier non eſt gravida jam tranſacta 11. annos : & hoc menſtruum quandoque ei in lac tranſmutatur intra mammas. Verum eſt quod hi humores ita ſubtiles ex natura calidi ſunt, quod ex eis quaſi oriuntur pili aliquando in maxillis mulieris, & propriè circa os ubi magis abundat calor, & hæc mulier dicitur eſſe barbata. Sciendum quod talis mulier eſt valde luxurioſa, propter calidam ſui complexionem. Eſt ergo fortis naturæ & viri-

virilis conditionis. Mulier vero bene mundata à pilis & præcipue circa os, ſecundum phyſionomiam dicitur eſſe bonæ complexionis, ſcilicet timida, pavida, verecunda, debilis, mitis, & obediens, & è converſo barbata. Item dicimus quod in maxilla faciei, aut habet jam barbam aut non habet, quæ ſi habet, dictum eſt, ſed ſi non habet aliquid barbæ, hoc perdicendum eſt pro non habente, aut non eſt adhuc in ætate habendi, aut eſt propria cauſa, qua nunquam poteſt exire. Puer non habet barbam, eo quod non eſt natura tam potens adhuc, neque quod poſſint pori maxillarum aperiri, & idem intelligendum eſt de puella ratione menſtrui propter lunam, loco barbæ. Cujus barba eſt bene ordinata ſive compoſita & ſpiſſa pilis, ſignificant hominem bonæ naturæ, & rationalis conditionis ad omnia ſecundum conjunctum, & datos mores producte, & è converſo. De illis qui habent eam male compoſitam, ut patet in eunuchis, qui poſtquam perdiderint ambos teſticulos, valde tranſmutantur à natura virorum in naturam mulierum.

CAP. LXXVI.

De Facie.

FAcies quæ ſæpe ſudat ex facili motu, ſignificat hominem calidæ naturæ, vanum, luxurioſum, bene comedentem & groſſi ingenii ac nutrimenti. Cujus facies eſt valde carnoſa, ſignificat hominem timidum, convenienter lætum, largum, diſcretum, luxurioſum, malæ memoriæ, cito credentem audita, & bene le-

galem,

galem alteri, importunæ voluntatis, in optato invidum, & ſatis convertibilem ad utraque, & valde præſumptuoſum: Cujus facies eſt macileata, ſignificat hominem ſagacem, fatigabilem, intellectus boni, plus crudelem quam pium, teneræ capacitatis & dedignoſum. Cujus facies eſt minuta valde, & rotunda figuraliter, ſignificat hominem ſimplicem, timidum, debilem, groſſi nutrimenti, malæ memoriæ. Cujus facies eſt ſimilis ebrioſo, ſignificat hominem bibentem vinum bonum, luxurioſum, vanum, fortem, facile inebriatur. Cujus facies iraſcibilis aſſimilatur cito, & facile iraſcitur & tenet tamdiu iram. Cujus facies eſt longa & macra, ſignificat hominem valde audacem lingua & facto, ſimplicem, rixoſum, ſuperbum, injurioſum, fallacem, durum, moribus pium, convenienter luxurioſum. Cujus facies eſt communis inter longam & rotundam, macram & craſſam, ſignificat hominem convenientem ad omnia, tamen citius in bono quam malo. Cujus facies eſt valde craſſa & lata, ſignificat hominem plus ſimplicem, quam ſapientem, groſſi ingenii, tardum intellectum habentem in agendis, ſæpe vana credentem, glorioſum, convertibilem ad omnia, luxurioſum, vanum, oblivioſum in malo, falſum, detractorem & ſupplantaneum. Cujus facies eſt valde plana ſine timore, valde elevata, ſignificat hominem bonæ conditionis ad omnia, & ſatis amabilem, cito credentem, ſagacem, ſatis fidelem, & plus ſimplicem quam ſapientem, ac patientem in adverſa fortuna. Cujus facies aliquantulum val-

vallat, & plus macra quam craſſa, ſignificat hominem injurioſum, invidum, fallacem, mendacem, rixoſum, laborioſum, groſſi ingenii, vanum, valde ſimplicem, & tardi intellectus. Cujus facies eſt mediocris ad quamlibet diſpoſitionem & cæterarum, tamen plus pinguis quam macra, ſignificat hominem in ſermone veracem, facilem, ſervitialem, communiter ingenioſum, ſagacem & memorem. Cujus facies eſt valde curva & longa, ac macra, ſignificat hominem groſſi ingenii, quaſi ad omnia bona ſimplicem, tardi intellectus, & non legalem, & ex levi occaſione malitioſum. Cujus facies eſt latior à fronte inferius uſque ad juncturam maxillarum, & altior quam poſtea, ſignificat hominem ſimplicem in agendis, & in loquela invidum, partim timidum, partim audacem, tenacem, mendacem, vanum, fallacem, animoſum, rixoſum, groſſi nutrimenti & mali ingenii. Cujus facies eſt bene diſpoſita carne, colore, & ſuis partibus, ut oculi, cilii, &c. quibus ſit delectabilis, & placida, ſignificat hominem generaliter bene diſpoſitum ad agendum vitia & virtutes. Cujus facies eſt in colore pallida, ſignificat hominem non bene ſanum, valde manſuetum, proditorem, mendacem, ſuperbum, luxurioſum, tenacem, invidum, præſumptuoſum, groſſi nutrimenti, non bene fidelem neque legalem. Cujus facies eſt bene colorata, ſignificat hominem laudabilis diſpoſitionis, in ſua complexione lætum, cito credentem alteri, convenienter ſervitialem, intellectus boni, & ex facili ad omnia convertibilem.

CAP.

CAP. LXXVII.

De auribus.

AUris eſt hominis, auricula cæteri animalis, & unguis eſt hominis, ungula cæteri animalis. Cujus aures ſunt magnæ & groſſæ, ſignificant hominem ſimplicem vel ſtolidum, pigrum, groſſi nutrimenti, malæ memoriæ, duræ capacitatis. Cujus aures valde ſunt parvæ & ſubtiles, ſignificant hominem boni ingenii, intellectus, ſapientiæ, ſecretum, pacificum, ſagacem, timidum, tenacem, verecundum, vanum, glorioſum, animoſum, memoriæ bonæ, ſatis alteri ſervitialem. Cujus aures aliquantulum ſunt longæ, id eſt ultra communem formam, vel amplæ ex tranſverſo, ſignificant hominem audacem, inverecundum, vanum, pigrum, inſipientem, alteri ſervitialem, pauci laboris & multæ comeſtionis.

CAP. LXXVIII.

De Capite.

CAput magnum & bene rotundum ex omni parte, ſignificat hominem ſecretum, ſagacem in agendis, ingenioſum, diſcretum, magnæ imaginationis, laborioſum, ſtabilem & legalem. Cujus caput eſt habens gulam groſſam cum collo, quod declinet verſus terram, ſignificat hominem ſagacem, tenacem, pacificum, ſecretum, valde ſui ſenſus & ſtabilem in agendis.

dis. Cujus caput eſt longum, habens faciem longam, & magnam ac deformem, ſignificat hominem fatuum, malitioſum, vel valde ſimplicem, vanum, cito credentem, novigerulum, ac etiam invidum. Cujus caput eſt valde volubile hinc & illinc, ſignificat hominem fatuum, ſimplicem, vanum, mendacem, fallacem, præſumptuoſum, inſtabilem, tardi intellectus, mali ingenii, teneræ capacitatis, aliquantulum prodigum, novigerulum. Cujus caput eſt groſſum habens latam faciem, ſignificat hominem ſuſpicioſum, valde animoſum, cupidum pulchrorum, ſimplicem, ſagacem, groſſi nutrimenti, ſecretum, audacem, & non bene verecundum. Cujus caput eſt groſſum & non convenienter formoſum, habens gulam curvam & collum groſſum, ſignificat hominem in ſe ſatis ſapientem, ſagacem, ſecretum, ingenioſum, ſtabilis imaginationis, fidelem, veracem, & multis tractabilem. Cujus caput eſt parvum, habens gulam ſubtilem & longam, ſignificat hominem valde debilem, inſipientem, pauci cibi, doctrinalem & non bene fortunatum.

CAP. LXXIX.

De Gula.

GUla candida ſive macra aut craſſa, ſignificat hominem glorioſum, vanum, timidum, laſcivum, facile mendacem, convenienter ſagacem, magnæ iræ & diu dedignoſum. Cujus gula eſt macra & ſubtilis, & in qua venæ apparent, ſignificat hominem ma-

læ fortunæ, debilem, timidum, pigrum, groſſi nutrimenti, cito credentem & convertibilem ad utraque.

CAP. LXXX.

De Collo.

COllum longum ſignificat pedes & longos & graciles, etiam ſignificat hominem ſimplicem, & non ſecretum, timidum, debilem, invidum, mendacem, fallacem, indoctrinalem & cito convertibilem ad utraque. Cujus collum eſt curtum, ſignificat hominem ſagacem, tenacem, fallacem, ſecretum, ſtabilem, diſcretum, iracundum, ingenioſum, magni intellectus, convenienter fortem, amantem pacem, dominium & omnia timida.

CAP. LXXXI.

De Spatulis.

SPatulæ macræ & minutæ, ſignificant hominem debilem, timidum, pacificum, pauci laboris, cito credentem, & ad omnia convertibilem. Cujus ſpatulæ ſunt raræ & groſſæ, ſignificant hominem fortem, tenacem, fidelem, groſſi ingenii & nutrimenti, ſimplicem, multi laboris, ſatis comedentem & libenter, ſtantem in pace. Cujus ſpatulæ ſunt curvæ ad interius, ſignificant hominem pigrum, ſagacem, ſecretum, inge nioſum & ſupplantanem. Cujus ſpatulæ ſunt abraſæ, ſignificant hominem ſimplicem, tenacem, laborioſum,

ſum, modeſtum in omnibus, ut lingua & comeſtione, pacificum, cito credentem & convertibilem ad utraque. Cujus ſpatulæ ſunt inæquales, ut una earum ſit altera major, ſignificant hominem pigrum, tardi intellectus, groſſi ingenii & nutrimenti, ſimplicem, duræ capacitatis, fidelem, audacem, tenacem, proditorem, falſum & non credentem. Cujus humeri ſpatularum ſunt valde elevati, ſignificant hominem apertæ vitæ moribus, invidum, ſimplicem, vanum, mendacem, inſtabilem, audacem, inverecundum & rixoſum.

CAP. LXXXII.

De *Brachiis.*

BRachia longa, quæ extenſione attingunt genua, licet raro contingat, ſignificant hominem liberalem, audacem, ſuperbum, impetuoſum deſiderii, debilem, ſimplicem, cogitaminis pauci, & vana glorioſum. Cujus brachia ſunt valde curta reſpectu ſtaturæ corporis, ſignificant hominem bellicoſum, ingratum, audacem, invidum, ſuperbum, fatuoſum, tenacem. Cujus brachia ſunt groſſa oſſibus, nervis & multa carne, ſignificant hominem convenienter fortem, ſuperbum, cito præſumptuoſum, invidum, cupidum pulchrorum, & cito credentem. Cujus brachia ſunt pinguia & muſculoſa, ſignificant hominem vana glorioſum, cupidum, quorundam delectabilem, & plus inſipientem quam ſapientem in agendis. Cujus brachia ſunt valde piloſa ſive ſint

macra, ſive craſſa, & mollis carnis, ſignificant hominem luxurioſum, teneræ capacitatis, debilem, malæ ſuſpicionis, & ſagaciter malitioſum. Cujus brachia ſunt valde nuda pilis, ſignificant hominem teneræ capacitatis, magnæ iræ, cito credentem, vanum, laſcivum, mendacem, facile fallacem, ſagacem in malo & debilem.

CAP. LXXXIII.

De *Manibus*.

MAnus mollis carnis macræ & longæ, ſignificant hominem boni intellectus, teneræ capacitatis, ex facili timidum, libenter pacificum, ſatis legalem, diſcretum, ſervitialem, domeſticæ converſationis & doctrinalem. Cujus manus ſunt valde groſſæ ac breves, ſignificant hominem groſſi ingenii, ſimplicem, vanum, mendacem, fortem, laborioſum, fidelem, cito credentem, & brevis iræ. Cujus manus ſunt piloſæ & groſſorum pilorum ac digitorum & curvorum, ſignificant hominem luxurioſum, vanum, mendacem, groſſi ingenii, & plus ſimplicem quam ſapientem. Cujus manus in digitis curvantur ſurſum, ſignificant hominem liberalem, & ſervitialem, capacitatis bonæ, ſagacem, pravum, invidum, longæ iræ, intellectus boni, & mediocrem inter ſecretum, & non ſecretum. Cujus manus ſunt implicabiles verſus extremam partem digitorum, ſignificant hominem tenacem, cupidum, contaminoſum, laborioſum, duri propoſiti, non cito convertibilem ad credendum laudata.

CAP.

CAP. LXXXIV.

De Pectore.

PEctus groſſum & amplum, ſignificat hominem fortem, audacem, ſuperbum, tenacem, iracundum, rapacem, cupidum, invidum, & ſagacem. Cujus pectus eſt ſtrictum, & in medio aliquantulum elevatum, ſignificat hominem ſubtilis ſpiritus & alti intellectus, conſilii boni, veracem, mundum, ingenioſum, ſagacem, ſapientem, magnæ iræ, cito iratum, & convenienter ſecretum. Cujus pectus eſt aliquantulum piloſum, ſignificat hominem luxurioſum, valde ſagacem, paululum duræ capacitatis, liberalem, laborioſum & alteri ſervitialem. Cujus pectus eſt mundum à pilis, ſignificat hominem debilem, & teneræ capacitatis. Cujus pectus eſt planum, & macrum, ac mundum à pilis, ſignificat hominem timidum, laudabilis vitæ & ingenii, teneræ capacitatis, pacificæ vitæ, ſecretum, & duræ converſationis ad plurima.

CAP. LXXXV.

De Dorſo.

DOrſum ſive ſpinale piloſum, macrum & valde elevatum ab æqualitate partium, ſignificat hominem inverecundum, malitioſum, beſtialem, mali intellectus, debilem, parvæ fatigationis & pigrum. Cujus dorſum eſt magnum & pingue, ſignificat hominem fortem, groſſi nutrimenti, vanum, tardum, pi-

grum & multæ fallaciæ. Cujus dorſum eſt ſubtile & extenſum, plus macrum quam craſſum, ſignificat hominem debilem, ex facie pavidum, vanum, rixoſum, & cito credentem quæ audit.

CAP. LXXXIV.
De Ventre.

VEnter panciatus ſignificat hominem leviter dedignoſum, comedonem, bibonem, tardum, magnanimum, vana glorioſum, falſum, luxurioſum, mendacem, partim legalem & partim proditorem. Cujus venter eſt parvus & extenſus, ſignificat hominem laborioſum, & convenienter ſtabilem, ſagacem, intellectus boni & teneræ capacitatis. Cujus venter eſt valde piloſus, ſcilicet, ab umbilico inferius, ſignificat hominem loquacem, audacem, ſagacem, intellectus boni, teneræ capacitatis, & convenienter ad utraque, eloquentem, ex facili pavidum, tractabilem pro amicis, alti cordis, & non bene fortunatum.

CAP. LXXXVIJ.
De Carne.

CAro mollis ubique corporis, ſignificat hominem debilem, luxurioſum, ex facili timidum, intellectus boni, teneræ capacitatis, pauci cibi, fidelem, variæ fortunæ & plus adverſæ quam proſperæ. Cujus caro eſt dura vel aſpera, ſignificat hominem fortem, audacem, duri ingenii, vanum, ſuberbum, plus inſipientem

quam ſapientem, & crudelis fortunæ. Cujus caro eſt pinguis & alba, ſignificat hominem vanum, vana glorioſum, hebetem, oblivioſum, curioſum ad omnia, aliquantulum timidum, verecundum, ſagacem, malitioſum, mendacem, durum ad credendum omnia.

CAP. LXXXVIII.

De Coſtis.

COſtæ craſſæ & carnoſæ ſignificant hominem fortem, tardum, & valde ſimplicem. Cujus coſtæ ſunt ſubtiles & particæ ac nudæ à multa carne, ſignificant hominem debilem, pauci laboris, ſagacem, malum, & juſtum ac bonum.

CAP. LXXXIX.

De Femore.

FEmur valde ſpiſſum pilis ac bene ericiis, ſignificat hominem luxurioſum, fortem ad coëundum, & ejus ſemen valet ad concipiendum. Cujus femur eſt rarum pilis ſubtilibus & extenſis, ſignificat hominem convenienter caſtum, id eſt, raro luxurientem, & ejus ſemen non eſt bene virtuoſum ad concipiendum. Cujus femur eſt rarum ſive male diſpoſitum, ſignificat hominem debilem, timidum, raro coëuntem, & cito convertibilem ad utrumque.

CAP. XC.

De Coxis.

COxæ bene pulpoſæ, ſignificant hominem fortem, audacem, ſuperbum, ut patet de gallis & falconibus, & è converſo.]

CAP. XCI.

De Genubus.

GEnua pinguia ſignificant hominem timidum, liberalem, vanum, pauci laboris. Cujus genua ſunt macra, ſignificant hominem fortem, audacem, fatigioſum, ſecretum & boni itineris.

CAP. XCII.

De Cruribus.

CRura hominis habent magnas pulpas retrorſum, eo quod caret cauda. Sciendum eſt quod Ariſtoteles dicit in libro animalium, Omne animal carens pulpa magna cruribus, habet caudam alicujus ſubſtantiæ, ut pilorum, &c. Cujus crura ſunt groſſa oſſibus & carne, ac piloſa, ſignificant hominem fortem, audacem, ſagacem, ſecurum, groſſi ingenii, pigrum, tardum & duræ capacitatis. Cujus crura ſunt ſubtilia, & non bene piloſa, ſignificant hominem debilem, timidum, intellectus boni, fidelem, ſervitialem, & raro luxurioſum. Cujus crura ſunt omnino nuda pilis, ſignificant hominem caſtum, debilem, & cito pavidum. Cujus crura ſunt valde piloſa, ſignificant hominem piloſum circa genitalia, & luxurioſum, robuſtum, ſimplicem, & inſtabilem, abundantem malis humoribus.

CAP.

CAP. XCIII.

De claviculis pedum.

CLaviculæ pedum groſſæ & craſſæ & valde fortes, præeminentes, ſignificant hominem verecundum, timidum, pavidum, debilem, parvi laboris, ſagacem, fidelem, & tractabilem. Cujus claviculæ pedum habent nervos valde manifeſtos, & veniales, ſignificant hominem audacem, fortem, ſuperbum, & animoſum.

CAP. XCIV.

De Pedibus.

PEdes magni, id eſt, groſſi in carne & longi in figura ac duræ pellis, ſignificant hominem ſimplicem, fortem, groſſi nutrimenti, tardi intellectus & vanum. Cujus pedes ſunt tardi, ſubtiles, macri ac pellis mollis, ſignificant hominem boni intellectus, alti ingenii, timidum, debilem, ſagacem, fatigabilem, parvi laboris, & cito credentem.

CAP. XCV.

De Unguibus.

UNguis eſt hominis, ungula vero cujuſlibet cæteri animalis, unde ungues ſubtiles ac boni coloris & longæ formæ, ſignificant hominem bonæ conditionis ad diſpoſitionem ſui in ſanitate, & quod mater tempore gravidatio-

nis non comedit res valde ſalitas, imo inſipidas, & è converſo, ut patet de unguibus avium raro cum reſpectu cæterarum. Cujus ungues ſunt in colore pallidi, ſignificant ſanitatem, &c. in ſint ſiccæ naturæ, ut patet de illis accipitrum & falconum.

CAP. XCVI.

De *Calcaneis*.

CAlcanei pedum parvi & macri ſignificant hominem facile timidum, & pavidum, & debilem. Cujus calcanei ſunt magni & craſſi, ſignificant hominem ſecretum, fortem, audacem, fatigabilem, & plus inſipientem quam ſapientem.

CAP. XCVII.

De *plantis pedum*.

PLantæ pedum continent ſigna cavallium veluti manus vinculis, quibus facile poteſt cognoſci tota fortuna animalis, & infortunium, vita & mores, tempus, ut patet ſufficienter in arte quæ dicitur Chiromantia, quam plene ſcivimus in noſtris diebus, velut Acrumantia & Piromantia & quaſdam alias. Nam illorum ſignorum quædam ſignificant bonum, quædam malum, & quædam inter utrumque cum dubio. Unde ſciendum eſt, quod fixuræ multæ & longæ ſignificant multa impedimenta vitæ, & laborem & paupertatem & miſeriam. Curtæ vero ſignificant pejus omni gradu.

du. Cujus pellis plantarum eſt groſſa, ſignificat hominem fortem, firmum, ſubtilem vero & debilem.

CAP. XCVIII.

De paſſibus pedum eundo.

PAſſus pedum eundo ſi fiant tardi & ampli, ſignificant hominem habentem malam memoriam, groſſi ingenii, turbidi intellectus, tenacem, pauci laboris & non facile credentem omnia. Cujus paſſus eundo fiunt veloces, & curti, ſignificant hominem velocem in agendis, cito imaginantem vicem & teneræ capacitatis. Cujus paſſus fiunt ampli & diſcordantes, viam rectam non tenentes, ſignificant hominem ſimplicem, & groſſi nutrimenti ac ſagacem in malo, ut patet de vulpe.

CAP. XCIX.

De motu perſonæ.

MOtus perſonæ feſtinus cum debeat eſſe rationaliter firmus, ſive loquatur, ſive ſedeat, ſive ſtet in pedibus, ut movendo manus vel pedes, vel caput, nec ſit ei neceſſe: ſignificat hominem immundum, indiſcretum, male loquentem, vanum, inſtabilem, mendacem, & non bene fidelem. Cujus motus fit raro quando loquitur, ſignificat hominem ſatis convenientem ad ſingula, ut ſagacem, tenacem, ſervitialem, ſtabilem, & boni intellectus. Cujus

jus motus ſit velox & ſine cauſa vel ante vel poſt, ſignificat hominem ſimplicem, groſſi ingenii & valde malitioſum. Cujus motus eſt claudicus, ſignificat hominem malitioſum, mendacem, falſum, invidum, cupidum alieni, & aliquantulum convenientem ad omnia, ad quæ movetur vel moveri debeat alter.

CAP. C.

De *Gibboſis & ſtrumoſis*.

GIbbus, id eſt, ſtruma, ſignificat hominem ſagacem, valde ingenioſum, malæ memoriæ, fallacem & ſatis malitioſum. Cujus gibbus eſt tantum ante, ſignificat hominem in animo duplicem, & plus ſimplicem quam ſapientem.

CAP. CI.

De Statura hominis.

STatura hominis multum nunciat de illo, unde ſi ſtatura fuerit longa & bene recta, ac plus macra quam pinguis, ſignificat hominem audacem, crudelem, ſuperbum, clamoſum, vana glorioſum, duræ iræ, tenacem, ſumptuoſum, non cito credentem audita, ſæpe mendacem, & in multis malitioſum. Cujus ſtatura eſt longa & craſſa convenienter, ſignificat hominem fortem, facile infidelem, falſum, groſſi ingenii, tenacem, ingratum & ſupplantaneum. Cujus ſtatura eſt valde longa, macra & ſubtilis, ſignificat hominem inſipientem,

tem, vanum, mendacem, groſſi nutrimenti, importunum ad optata, cito credentem, debilem, in agendis tardum, & valde ſui ſenſus. Cujus ſtatura eſt curta & craſſa, ſignificat hominem vanum, invidum, ſuſpicioſum, plus ſimplicem quam ſapientem, groſſi ingenii, & convenienter alteri ſervitialem & credentem, longæque iræ. Cujus ſtatura eſt macra & curta ac bene recta, ſignificat hominem naturaliter ſagacem, ingenioſum, tenacem, ſuperbum, audacem, ſecretum, fatigabilem, vana glorioſum, convenienter ſapientem, intellectus boni, & valde ſupplantantem. Cujus ſtatura eſt declivis anterius, non tamen vetuſtate, ſed natura, ſignificat hominem ſagacem, ſecretum, hebetem, groſſi nutrimenti, ſeverum, tenacem, laborioſum, duræ iræ & non cito credentem. Cujus ſtatura eſt verſa in poſteriori parte, ſignificat hominem ſtolidum, modici intellectus, groſſi nutrimenti, vanum, malæ memoriæ & cito convertibilem ad utraque.

CAP. CII.

Notula Doctrinalis.

CUm videris hominem rubeum, fidelem, longum, ſapientem, pinguem, velocem, macrum, ſimplicem, bonum, pulchrum, non vana glorioſum, pauperem, non invidum, album, ſapientem, cum naſo ſonantem, bene loqui, induſtrium, non mendacem, rectum in ſtatura, non audacem, non credulum, etiam

ex fa-

ex facili damnoſum, album, non facile timidum, loquentem modeſto uſu, non ſupplantantem & ſagacem, non calidum in carne ac piloſum in cruribus & in mento, & non ſæpe luxurioſum, intuentem oculo, non fallacem & mendacem ac vanum, non ſubdolum, bene ſapientem ſuæ artis, bonitate utentem, bene divitem, & non tenacem contra miſeriam alterius, bene pauperem, non pium & miſericordem, morbidum, venditorem, non mendacem ac laudatorem ſuæ mercis, emptorem non in aliquo mercem optatam, calumniantem, habere bonum forum, & volentem eſſe bonum quoad Deum, non multipliciter adverſarium. Redde ſpeciales gratias ſoli Deo & ejus matri, & tunc eſt operatio divina contra curſum communem naturæ mundi tranſitorii.

CAP. CIII.

Capitulum ultimum libelli phyſionomiæ, in quo comprehenditur intentio ſingulorum capitulorum ejuſdem ſcientiæ.

PHyſionomia oportet te ſcire ſapienter omnia quæ prædiximus in unoquoque capitulo judiciorum particularium, ne judicando, quenquam præcipites in eandem ſcientiam, cum judicium in uno iſtorum non ſolummodo ſit attendendum, ſed quilibet Phyſionomiſta debet cautè colligere in ſeipſo teſtimonia illa univerſi corporis, qui non aliquo

quo de accidenti aliter tranſmutatur, ut de ſanitate in ſanitatem, & veluti ſunt teſtimonia oculorum, frontis, naſi, aurium, dentium, &c. Et cum diverſa teſtimonia hujus præbeant judicium dignitatis Phyſionomiæ, ſemper declinandum eſt ad univerſale & judicium majoris partis omnium membrorum, quæ ſupra diximus ordinate. Et qui aliter fecerit, cadet leviter in errorem. Cauſa eſt, quia omne membrum in ſe habet certa judicia, ut patet in prædictis capitulis, & ideo nullus homo eſt, qui ſolummodo ſit unius judicii propter certum membrum, cum unum contradicat alteri. Et majus vincens devincat minus. Et quia membra ſunt multa, & quodlibet habet ſua judicia, non videntur capitula errare, cum non ſit ex toto unum in unoquoque homine de his quæ prædiximus, imo videbitur multum diverſificari à toto, quod ſi eſſet, non eſſet juſta probatio. Oculi habent ſua judicia, & homo cauſa oculorum debet eſſe ſic diſpoſitus. Sed alia membra ad quid erunt? Ergo cum tot membra ſunt, ideo ſunt multæ diverſitates in homine. Et ſic nullus homo cadit in judicium unius membri, ſed omnium. Quare diſcretione ſunt inveſtiganda capitula & commiſcenda. Inſuper credendum eſt, quod multa accidentia, quæ veraciter laxant, quando hujuſmodi rei veritatem conſiderare voluerimus in omnibus, ſcilicet ætas perſonæ, temporis ætas ad perſonam, longa permanentia in loco, longus uſus doctrinæ, longus uſus certæ ſocietatis, nimia regnatio

gnatio humorum complexionis præter ſolitum, ægritudo accidentalis, violentia, accidentia contra naturam, & defectus alicujus ſenſus naturalis ex quinque. Quare finaliter cum grandi induſtria hujus, omnia quæ ſupra diximus, attenduntur commixta. Et ſic aliquis judicium ferens de præteritis modo aliquo non errabit, & non erratum non fallet, Deo volente. Et de phyſionomia quæ prædiximus dicta ſufficiant.

MICHAELIS SCOTI

De procreatione & hominis Phyſionomia opus fœliciter finit.

IN-

INDEX.

Materiarum utriuſque opuſculi Secretorum Mulierum ac Naturæ ordine Alphabetico locupletiſſimus.

A

ABaſton lapis. fol. 134
Achaton ſive Juſquiamus herba. 129
Adamas lapis. 135
Affodilius herba. 126
Agathes lapis. 135
Alodricas lapis. 151
Alectorius lapis. 135
Amethyſtes lapis. 136
Anguilla, piſcis. 149
Aqua ardens. 203
Aquila avis. 146
ejus pennæ. 84
Aquileus lapis. 143
Arnogloſſa herba. 128
Aves ut manu capiantur. 187
Aurium Phyſiognomia. 312

B

BArbæ Phyſionomia. 208
Bena lapis. 139
Beratides lapis. 140
Beryllus lapis. 135
Brachiorum phyſ. 316
Bubo avis. 147

C

CAlcaneorum phyſionomia. 322
Chalcedonius lapis. 138
Camelus. 148
ejus Zelotipia. 183
Capillorum phyſionomia. 293
Capitis phyſionomia. 312
Carnis phyſionomia. 318
Caſſo animal. 146
Cavitatis pedum phyſionomia. 302
Celonites lapis. 136
Centaurea herba. 124
Chelidonius lapis. 138
Chynoſtates herba. 127
Chryſolitus lapis. 140
Cibi luxuriam provocantes. 211
Ciliorum Phyſionomia. 296
Coïtus quibus utilis & quibus noceat. 214
Colli phyſionomia. 314
Conceptionis impedimenta. 105

Con-

Conditiones lactantis ac lactis. 139
Corallus lapis. 137
Corvus avis. 150
Coſtarum phyſionomia. 319
Coxarum phyſionomia. 319
Cryſtallum. 135
Crurum phyſion. 320

D

DE animalibus in genere. 151
De animalium diviſion. 256
De aſtris & planetis. 155
De diſpoſitione filiorum ad parentes, & è converſo. 240
De influentiis planetarum. 47
Dentium phyſion. 303
Domus ut videatur plena ſerpentibus. 194
Dorſi Phyſionomia. 317
Draconites lapis. 143

E

EChites lapis. 143
Eliotropia herba. 119
Eliotropia lapis. 137
Embryonis generatio. 11
Embryonis nocumenta. 237
Embryo an ſit ſanus, an non. 250
Epiſtrites lapis. 138
Eſmundus vel Aſmadus. 136
Experiolus animal. 149

F

FAciei phyſion. 310
Feripendanus lapis. 132
Femoris phyſionom. 319
Flatus phyſionom. 305
Foca piſcis. 149
Fœtus formatio. 20
Fœtus exitus de utero. 69
Fœtus forma in utero. 222
Frontis phyſionom. 294

G

GAgates lapis. 139
Gallaſia lapis. 142
Gallerites lapis. ibid.
Gemma Babylonica. 137
Genuum phyſion. 320
Generatio animalium imperfectorum. 60

Gib-

Gibboſorum phyſ. 325
Gulæ phyſionomia. 313

H

HIerobota herba. 129
Hircus animal. 147
Homines ut videantur ſine capite. 225
Homines ut habeant capita animalium. 189
Homines ut habeant capita varia. 190
Homo ut ſemper Eunuchus ſit. 191
Hora diei & noctis. 156-157

I

JAcinthus lapis. 134
Ignis græcus quomodo fiat. 210
Impedimentum ne mulier corrumpatur. 186
Infans quomodo naſcatur. 234
Infans quomodo nutriendus. 241
Interciliorum natura 213
Iris lapis. 142
Iſthmos lapis. 139
Juperius lapis. 141
Juſquiamus herba. 122

L

LAbiorum phyſionomia. 303
Lampades mirabiles. 193
Lazuli lapis. 141
Lepus animal. 148
Leo animal. 149
Lichinia diverſa. 193
Lilium. 123
Lingua canis, herba. 122
Linguæ phyſionom. 305
Littera ne legatur niſi nocte. 188

M

MAgnes lapis. 131
Manuum phyſionomia. 316
Matricis defectus. 103
Medor lapis. 134
Meliſophylos herba. 125
Memphytes lapis. 134
Menſtrua Muliebria. 308
Merula avis. 152
Milvus avis. 151
Mirabilia mundi. 158
Modus faciendi aquam ardentem. 201 203
Modus coëundi, & de re-

regimine adhibendo in coitu. 225
Monſtrum in natura. 82
Motus perſonæ phyſiognomia. 323
Mulier ne adulter. 180
Mulier ut confiteatur acta dormiendo. 186
Muſtela animal. 150

N

NArium phyſ. 301
Naſi phyſion. 299
Naturæ ſecreta. 260
Nephta herba. 140
Nichomar lapis. 140
Notitia nativitatis puerorum. 230
Notitia partium corporis in omni animali. 275
Notitia abundantiæ humorum per ſomnia. 280
Notitia auguriorum. 285
Notitia ſternutationis. 287
Notitia doctrinalis. 280-327

O

OCulorum phyſionomia. 297
Occaſiones generandi & non generandi 216
Onyx lapis. 132
Oris phyſionom. 302
Orithes lapis. 144

P

PAſſuum pedum phyſionomia. 323
Pectoris phyſion. 317
Pelicanus avis. 150
Pedum phyſion. 321
Pedum clavicularum Phyſionomia. 321
Pentaphillion herba. 128
Piſteriona herba. 129
Plantarum hora. 45
influentia. 47
Plantarum pedum phyſionomia. 322
Poligonia ſive corrigiola herba. 127
Procœmium. 3-4
Provinſa herba. 121

Q

QUirim lapis. 140

R

RAdianus lapis. 141
Regulus ſerpens. 176
Riſus phyſionom. 307

Roſa flos, ſeu herba. 125

S

Salvia herba. 124
Saphyrus lapis. 144
Saunus lapis. 145
Serpentina herba. 126
Silonites lapis. 133
Signa conceptionis. 93
Signa an maſculus aut fœmella ſit in utero. 95-146
Signa maſculi concepti in muliere gravida. 24
Signa fœminæ conceptæ in muliere gravida. 247
Signa corruptionis virginitatis. 99
Signa mulieris calidæ aut frigidæ naturæ. 218-219
Signa mulieris gravidæ. 245
Signa, utrum mulier plures liberos debeat habere, viſo primo partu. 249
Signa complexionis, ratione coloris in facie. 265
Signa complexionis ratione coloris in corpore. 266
Signa calidæ aut frigidæ complexionis. 267
Signa ſiccæ aut humidæ naturæ. 268
Signa corporis temperati & ſani, & contra. 268-269
Signa complexionis cerebri. 269. *cordis.* 271 *hepatis.* 273. *pulmonis.* ibid. *ſtomachi.* 274. *teſticulorum.* ib.
Signa repletionis malorum humorum. 277. *nimii ſanguinis.* 278
Signa nimiæ choleræ, ibid. *phlegmatis.* 279 *nimiæ Melancholiæ.* ibid.
Silonites lapis. 133
Smaragdus lapis. 141
Spatularum phyſ. 314
Spermatis humani natura, & digeſtio. 112. *materia.* 116
Spermatis definit. 112
Somnia ſignificantia dominium ſanguinis. 181. *dominium choleræ.* 182. *dominium phlegmatis* ibid. *domi-*

minium melancholiæ. ibid. *ſignificantia caliditatem & frigiditatem.* 283. *humiditatem ſignificantia & ſiccitatem.* 284
Significantia repletionem humorum. ibid.
Significantia malos humores. ibid.
Staturæ hominis phyſionomia. 324
Suffumigationes mirabiles. 192

T

Tabrices lapis. 140
Talpa animal. 152
Tempus coeundi opportunum. 213
Terpiſtrites lapis. 143
Topaſion lapis. 133
Turtur avis. 151

V

Ventris phyſionomia. 318
Verbena herba. 124-129
Virtus cordis canis. 154
Virtutes herbarum unde. 118
Virtutes lapidum. 131
Virtutes animalium. 146
Virga paſtoris, herba. 120
Viſcus querci. 123
Unguium phyſion. 323
Unices lapis. 141
Vocis phyſionom. 305
Upupa avis. 150
Urtica herba. 120
Utilitas dentium ſerpentum. 184
Utilitas phyſion. 208

FINIS.

Costa 212

D. G.D.M.